QUAESTIONUM

DEMOSTHENICARUM

PARTICULA PRIMA.

SCRIPSIT

ANTONIUS WESTERMANN

PHILOL. LIPS.

Εὑρίσκεται γὰρ ἡ ἀλήθεια
ἐκ τῶν εἰκότων.

Aeschin. adv. Timarch.

LIPSIAE, MDCCCXXX.

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTH.

DE ORATIONUM OLYNTHIACARUM DEMOSTHENIS ORDINE.


SCRIPSIT

ANTONIUS WESTERMANN

PHILOL. LIPS.

LIPSIAE, MDCCCXXX.

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTH.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

VIRIS CLARISSIMIS

CAR. AUG. RUEDIGERO

PHIL. DR. GYMNAS. FRIBERG. RECTORI,

GUIL. MAURIT. DOERINGIO

GYMNAS. FRIBERG. CONRECTORI,

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

PIETATIS AC VENERATIONIS DOCUMENTUM

HOC ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Demosthenem haud sane diu est cum historicus inter Britannos celeberrimus *) laudari magis quam legi, magisque legi quam intelligi contendit. Quod quamquam eo quo scripsit tempore usu venit, tantum abest tamen, ut hodieque et docentes et discentes a Demosthene sese abstineant, ut nuperrime earundem ejus orationum ad usum scholarum accommodatae editiones tres in publicum simul prodierint. Et vero lectio Demosthenis doctorum virorum assiduitate ac diligentia mirum quantum tribus abhinc lustris est adornata, adjuta, promota. Sed tantam res difficultatem habet, ut, quamvis critici et interpretes mirifice de ea meruerint, haud pauca tamen restent futuris, si Deo placet, ingeniis

*) Gillies history of ancient Greece, ed. Basil. T. IV. p. 343.

emendanda et illustranda. Quae cum ad textus recognitionem, tum ad ipsarum orationum et internam et externam rationem maxime pertinent, ut quomodo altera ex altera apta sit et nexa, quae cujusque causa sit, qui color atque habitus, appareat. Plurimum enim ad oratoris intellectum interest, ipsius temporis historiam accuratissime pervestigare propterea, quod pleraque, utpote auditoribus notissima, obiter ab eo et in transcursu quasi perstringuntur, quae nisi diligenter ante exploraveris, fieri non potest, ut invitus atque inscius non in errorem rapiaris. Quod cum viri docti jam dudum intellexissent, in Demosthenico quoque, sive potius Philippico tempore et enarrando et enucleando operam sedulo consumserunt. Sed quamvis praeclara hac in re praeclari viri ingenii documenta multa hactenus dederint, nondum eam tamen eo perduxerunt, ut prorsus omnem dubitationem tollerent atque expellerent. Imo in contrarias plane partes interdum discesserunt, ita ut illustria utrimque nomina ingeniique certantium sagacitas atque industria, cui adstipuleris, incertum te faciant ac suspensum. Et inprimis orationes Olyn-

thiacae viros doctos in sese converterunt. Itaque earum, qui ambigitur, ordinem variis modis constituere conati sunt. Ac primum quidem ANDR. SCHOTTUS, tum TOURRELLUS atque LUCCHESINIUS de ea re disceptaverunt. Post pauci exstitere, qui litem istam commemorarent, qui componeret, nemo. Nuper demum hanc rem jam dudum sopitam resuscitavit C. A. RUEDIGERUS V. D. ordinem Dionysiacum defendens, vulgatum refutans, nactusque est VV. Clariss. R. RAUCHENSTEINIUM defensorem, A. G. BECKERUM adversarium. At RUEDIGERUS, qui jam pridem, cum ei me in disciplinam tradidissem, Demosthenis, quas ediderat, orationes Olynthiacas exponens et illustrans, istam de earum ordine quaestionem instituit, postea quoque, cum paullulum ab ejus discreparem sententia, liberaliter, ut solet, per literas mecum retrectavit, nuperrime novam Demosthenis sui editionem emissurus, paucis me, quae nunc mea esset de orationum Olynthiacarum ordine sententia, quo suo ea loco posset inseri, ad se perscribere jussit. Jubenti morem extèmplo gessi atque libenter; quippe peropportune hoc juveni cecidit, quod

nomen suum mox typis descriptum visurus erat; misi igitur quae exaraveram, quaeque inserta vides in ed. II. (Lips. 1829) pag. 74. sq. Reliqua, quae scripseram de toto orationum habitu, de pecuniis theatralibus, de Dionysio, cum iis ibi locus non esset, ad hoc urgente nundinis instantibus bibliopola, inseri non poterant; quamquam invitus, fateor, parui. Est enim haec res aedificio consimilis, cui si columnam subtraxeris aut trabem evulseris, non multum abest, quin totum ruinam faciat. Huc accessit, quod V. D. ipse meae qualicunque sententiae suum judicium subjicere non dedignatus est. Quod cum non ex omni parte probare posse mihi viderer, — quamvis certamen mihi cum eo ineundum, cui prima adolescentiae rudimenta ponens assentiri quam adversari multo maluissem — eo demum adductus sum, ut iterum re perpensa et accurate pervestigata hancce commentationem conscriberem, quae mea esset de orationum Olynthiacarum ordine sententiam, si fieri posset, viris doctis probaturus. Jam vero tot virorum doctorum, contra quos adversarii partes agere et sustinere conabar, consensu obstupefactus ab in-

cepto meo paene jam destiti, cum placida animum meum subiit cogitatio, inutilem istam priscorum hominum morositatem atque arrogantiam jam dudum honestae humanitati ac benevolentiae cessisse, qua nunc tironi quoque liceret de re ambigua quid sibi videretur, dummodo caute illud quidem modesteque fieret, confidenter profiteri. Nec vero etiam quemquam fugit, uti codices in arte critica, sic in universa literarum republica doctorum virorum sententias non numerandas esse, sed ponderandas. Itaque ut grata mihi mea defendendi atque aliis probandi imposita est necessitas, ita haud scio an operae pretium sim facturus, si quantum fieri possit aliorum ea de re judicia, nisi omnia collegerim, certe potiora exhibuerim atque disceptaverim. At ne cui temere aliorum scrinia compilasse videar, ingenue confiteor, multa me Beckero atque Rauchensteinio, quorum commentationes quotiescunque lego, summa voluptate perfundor, accepta referre, quaedam vel ad verbum reddidisse, quae silentio transire religioni habui. Cujus furti non vereor ne veniam non sim a viris clarissimis impetraturus. Item Rauchensteinii

utriusque editionis paginam citavi, (et prior. quidem numeris Arab., poster. num. Roman.) quamquam fortasse prioris rationem non habere debebam; sed magnam ea tamen partem cum altera conspirat.

Quod reliquum est, sic velim existiment adversarii, me, ubi eis repugnaverim, ex veritatis explorandae studio totum pependisse, atque sine amore et sine cupiditate, et rursus sine odio et sine invidia judicasse; quorum causas procul habui.

Scribebam Lipsiae ipsis Calendis Octobr.
A. MDCCCXXIX.

Duo sunt, de quibus VV. DD. ambigunt, orationum Olynthiacarum ordines. Alter, qui vulgatus dicitur, omnium codicum [1]) auctoritate nititur. Quem qui sequuntur, orationem in primo loco ponunt eam, quae tertia est Dionysio, eidem quae prima atque secunda, secundam ac tertiam faciunt.

Patrocinantur autem huic ordini veterum LIBANIUS in argumentis quae Demosthenicis orationibus praefixit, et ULPIANUS, quem dicunt, in scholiis. Recentiorum HIER. WOLFIUS (ed. Basil. Hervag. 1549. 1572), Vincent. LUCCHESINI (ed. Rom. 1712. 4. p. 299 sq. ed. Gu. Allen, Lond. 1755. Vol. II. p. 199.), Mr. FRANCIS (orations of Demosth. translated — Lond. 1757. 4. Vol. I.), Jo. Jac. REISKE (Orator. Graec. Vol. I. Lips. 1770.), Athan. AUGER (ed. Demosth. Paris. 1790. 4. Vol. I.), Imm. BEKKER (Orator. Att. Berol. 1824. Vol. IV.), Alb. Gerh. BECKER (Dem. Philipp. Reden, Halle 1824. 1 Thl. p. 103—131. — Dionys. v. Halik. *üb. d. Rednergewalt des Demosthenes verm. seiner Schreibart*, Wolfenb. u. Leipz. 1829; ibique in commentatione praemissa: Dionys. *als aesthet. krit. Schriftsteller*, p. XXIV. XXV. annot. 28.), G. H. SCHAEFER (Dem. Oratt. e rec. Reisk. Lond. 1822—25. T. I—III. Apparat. crit. et exeget. Lond. 1824—27. T. I—V.), GUIL. DINDORF (Dem. oratt. Lips. 1825. Vol. I—III.).

Alterius ordinis auctor est DIONYSIUS HALICARNASSENSIS, qui in epistola ad Ammaeum I. cap. 4. (Vol. VI.

---

1) In Cod. August. II. orationem, quae Dionysio secunda est, inscriptam esse Ὀλυνθιακὸς δεύτερος, asseverat Ruediger in ed. Philipp. noviss. p. 115. annot. De qua re dicetur infra p. 75 sq.

p. 726. ed. Reisk.) haec habet: *Ἐπὶ δὲ Καλλιμάχου, τοῦ τρίτου μετὰ Θέσσαλον ἄρξαντος, τρεῖς διέθετο δημηγορικοὺς, παρακαλῶν Ἀθηναίους βοήθειαν Ὀλυνθίοις ἀποστεῖλαι, τοῖς πολεμουμένοις ὑπὸ Φιλίππου· πρῶτον μὲν, οὗ ἐστιν ἀρχή· „Ἐπὶ πολλῶν μὲν ἰδεῖν ἄν τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δοκεῖ μοι·“ δεύτερον δέ· „Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι·“ τρίτον δέ· „Ἀντὶ πολλῶν ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρημάτων.“*

Hujus in sententiam discessere multi iique doctissimi viri: Andr. Schottus (vit. compar. Aristot. et Demosth. Aug. Vind. 1603. 4.), Tourrellus (Jaqu. de Tourreil, in vers. Gall. orr. Philipp. Paris. 1701. 4.), Rich. Mounteney (Select. orr. Cantabr. 1731. 8. Eton. 1748. V. Ebert bibliogr. Lexic. Vol. I. Demosth.), Leland (in Vers. Lond. 1756. Vol. I. cf. Becker Phil. Red. T. II. p. 567.), Athan. Auger (Oeuvres complettes de Demosth. Paris. 1777. Vol. I. p. 23 sqq), J. Taylor (prolegg. in Dem. in Reiskii Orr. Gr. Vol. VIII. p. 717 sq.), J. Gillies (the history of the ancient Greece, Basil. 1790. Vol. IV. pag. 310. annot. 73. et p. 362—382.), de Gin (les harangues polit. de Demosth. Paris. 1791. 8. Voll. II.), Fr. Jacobs (Demosthenes Staatsreden, Leipz. 1805.), Melch. Cesarotti (Le opere di Demosthene tradotte cett. Firenz. 1807. 8. Vol. I. p. 315.), Imm. Bekker (Oratt. Philipp. Berol. 1816 et 1825), A. G. Becker (Demosth. *als Staatsmann u. Redner*, Halle 1816, I. p. 47—53. et p. 273.), C. A. Ruediger (Dem. Phil. I. Olynth. tres, de pace — Lips. 1818. p. 73—76. Ed. II. Philipp. Pars prior. Lips. 1829. p. 70—75.), B. G. Weiske (de hyperbole, errorum in histor. Philippi commissorum

---

2) „Pessime Harlesius (ad Fabr. bibl. Gr. Vol. II. p. 827. n. 5.) Olynthiacam I. sive omnium Philippicarum IV. cum ea confudit, quae nunc nominatur Philippica IV.“ Quod ante jam monuerat Weiske de hyperbole P. III. p. 33 in annot. — Ceterum hanc notitiam literariam magnam partem Beckero (Phil. Red. T. I. p. 109. annot. cf. T. II. p. 559. et 571.) debeo.

genitrice. Lips. 1818. 1819. 4. P. III. p. 31—33.), Rud. Rauchenstein (d. oratt. Olynth. ordine, Lips. 1821. 8., quam commentationem repetitam vid. in Schaeferi Appar. crit. et exeget. ad Dem. T. I. p. 150—173. et in Bremii ed. Dem. orr. select. p. V—XXXII., ibique iteratis curis emendatam), J. Th. Voemel (in Annall. Heidelbg. a. 1822. n. 75, et in ed. Dem. Philipp. Orr. V. Francof. a. M. 1829. prolegg. p. 111. [2]) et passim in annott. Item in progr. de Olynthi situ, civitate, potentia et eversione. Frf. 1827. Cf. A. G. Becker Dionys. l. l.), Ph. A. Zimmermann (dissert. de Demosthene reipublicae Atheniensium administratore. Berol. 1828. p. 50), F. G. Engelhardt (adnott. crit. in Demosth. oratt. XI priores, progr. Berol. 1828. p. 11.), J H. Bremi (Dem. oratt. select. Goth. et Erf. 1829. Bibl. Gr. ed. Jacobs et Rost B. Vol. XV. Sect. I.).

Horum unius cujusque sententiam singulatim percensere nec juvat — molesta esset enim, quam non facile effugeremus, ejusdem rei crebra repetitio — neque operae pretium est, cum perquam breviter plerique ac velut in transcursu rem attigerint, quidam ne verbo quidem perstrinxerint. Quare nunc eos nominasse satis habeo, singulorum suis locis reservata argumentorum refutatione. At quamquam disputatio nostra magis in aliorum sententiis reprobandis, quam novis proponendis versabitur, non frustra tamen, quae doctorum virorum diligentia reliqua nobis fecerit, quaeremus, quin etiam hoc si prospere nobis processerit, ut alios hac in re interdum erravisse demonstremus, iisdem, quibus abusi illi videntur, argumentis ad nostram sententiam commode defendendam atque confirmandam uti licebit.

Jam vero ut via ac ratione progrediatur disputatio, quadripartita esto divisio. Ac primum videamus, num historico quodam argumento orationum Olynthiacarum ordo constitui possit; tum, cui maxime ordini totus harum orationum habitus suffragetur, investigemus; deinde singulos ex una quaque oratione, quibus vulgatus ordo

commendetur, locos colligamus; denique cur fides hac in re Dionysio non sit habenda demonstremus.

Cap. I.

Num historico quodam argumento orationum Olynthiacarum ordo constitui possit.

Historia Philippi, Amyntae filii, qui omnium consensu primas suo tempore partes egit, tam praeclaros atque diligentes nacta est interpretes ac narratores [3]), ut eam retrectantes acta ageremus (quod vetamur veteri proverbio). Sed ne nimis abrupte a media re exordium ducamus, non alienum erit consilio nostro, summa rerum, quae huc pertinent, capita, tamquam spicas eminentes, praetereundo decerpere: sic ad sequentia apte via munietur.

Philippus, Amyntae filius, posteaquam Thebis triennio obses habitus ex Epaminondae domo processerat, in Macedoniam profectus, ibique fratris filii tutela, quam acceperat, mox rursum deposita, rex ipse factus, incredibile dictu est, quantopere paternas opes brevi auxerit, Macedoniam miserrime adflictam ac jacentem in spem erexerit armisque firmaverit. Discordiam inter ho-

---

3) Illustres eo nomine praeter Francogallos SERAN DE LA TOUR (hist. de Philippe. Paris 1740. 12.), JAQ. DE TOURREIL (praef. hist. ad vers. Gall.), CL. M. OLIVIER (hist. d. Ph. Paris, 174o. II Voll. 12.), DE BURY (hist. d. Ph. Paris, 1760. 4.), quos memorat Meusel biblioth. Vol. III. P. 2. p. 236. sqq., LUCCHESINI (nott. hist. in ed. Dem.), LELAND (history of the life and reign of Philip. Dublin 1758. 4. Lond. 1760. 4.), VALCKENARIUS (de indole, virtutibus et rebus gestis Philippi. Franeq. 1760. 4. Emend. in Tib. Hemsterhus. oratt. Lugd. Bat. 1784.), GILLIES (the history of ancient Greece. Basil. 1790. Vol. IV. V.), P. J. S. VOGEL (Biographie grosser Männer des Alterth. Norbg. 1790. Vol. II.), DRUMANN (Ideen z. Gesch. des Verfalls der griech. Staaten. Berl. 1815.). Cf. Jacobs, Weiske, Ruediger, Becker, Voemel, ll. ll.

stes concitare, cum validiori quoque primum pacificari, belligerare cum imbecilliori, adsueto demum milite periculis utrosque superare; Paeones, Illyrios, Thessalos debellare, Phocenses sacrilegii perpetrati ultor electus a Thebanis ad internecionem caedere, ipsos deinde socios sub jugum mittere, expugnare Chalcidicam. [4]) Hinc non mireris, quod tantam ferociam Olynthus, Chalcidicarum urbium omnium facile princeps, diu effugere non potuit. Ac primum variis illecebris Olynthios Philippus irretivit et ad societatem pellexit ineundam. Promissis autem cum non stare videretur, miserunt illi, qui Atheniensium contra Macedonem auxilium implorarent. Sed hoc quoque ante providens veterator, ne optatum illi impetrarent, Atheniensibus liberalissime pollicitus, praecaverat. Quare legati repulsam passi re infecta abierunt. Jam vero cum superbia Philippo supra humanum intumescente modum deludi se ac verba sibi dari utrique cognovissent, in gratiam Athenienses cum Olynthiis rediere. At Philippo rebus Thessalicis atque Thracicis tunc occupato, posteaque defectionis vindicandae praetextum circumspicienti peropportune cecidit, quod Olynthii post caedem unius duos fratres ejus, quos Philippus, ex noverca genitos, veluti participes regni interficere gestiebat, per misericordiam receperant. (Justin. VIII. 3.) [5]) Itaque Philippus bellum strenue parat, ur-

---

4) Justin VIII. 3: „Inde veluti rebus egregie gestis in Chalcidicam trajicit, ubi bello pari perfidia gesto captisque per dolum et occisis finitimis regibus, universam provinciam imperio Macedoniae adjungit.“ Vulgata hujus loci scriptura Cappadociam (quam defendit Leland life of Philip Vol. I. p. 187. sq.) male viros doctos habuit. Quae quum tantummodo conjectura persanari posse videretur, scribi voluerunt Juntae Thraciam, Vorstius Chersonesum, Bongarsius Chalcidem, Gronovius atque Faber Chalcidicam, quod Voemelio (in ed. Phil. V. prolegg. p. 93. §. 27. a.) probatum nobis quoque verisimile videtur. Sed digna res in quam accuratius inquiratur.

5) Vogel l. l. p. 275. falsa haec atque conficta existimat For-

bes Chalcidicas confestim adoritur atque evertit[6]), denique XL stad. ab urbe castra metatus Olynthiis edicit, alterutrum fieri oportere: aut Olyntho illis excedendum, aut sibi Macedonia. (Dem. Phil. 3. p. 113. 13. § 11.)

Hucusque gestas res accuratissime exponunt, quorum ad nos scripta pervenerunt, historici atque oratores. At bellum Olynthiacum, quod paullo post exarsit, non prorsus illud quidem silentio scriptores praeterierunt, sed tam breviter tamen ejus tamque obscure plerique mentionem fecerunt, ut magnam partem quid sit verum vix conjectura assequare.[7]) Quamobrem in tanta rebus nostris offusa nocte lucem desiderantibus non potuit quidquam opportunius accidere, quam quod Dionysius Halicarnassensis — cui, quamquam alias nobis adversario, hic tamen meritam gratiam debitamque referimus — ex libro Philochori, qui *Ἀτθίς* inscribebatur, fragmentum nobis reservavit, in quo de rebus Olynthiacis accuratius exponitur. Legitur illud in epist.

---

tassis intelligendi sunt Archelaus, Archideus et Menelaus, quos ex Cygaea Philippum sustulisse narrat idem Justinus VII. 4.

6) Omnes XXII Olyntho addictas uno anno (Olymp. CVII. 4.) funditus delevit, et tam quidem *ὠμῶς ἀνῄρηκεν, ὥστε μηδένα, μηδ' εἰ πώποτ' ᾠκήθησαν, εἶναι ῥᾴδιον προςελθόντα εἰπεῖν.* Dem. Phil. 3. p. 117. 20. sqq. §. 126. Cf. d. fals. leg. p. 425. 18. §. 263. p. 426. 9. 14. §. 266.

7) Breviter de more Justinus l. l.: Ob hanc igitur causam urbem antiquam et nobilem exscindit. Theopompus ap. Athen. X. p. 436. c. Charidemum ducem Olynthum ab Atheniensibus missum esse innuit magis, quam distinctis verbis enarrat. Idem ibid. XIV. p. 532. d. e. Charetem ex Philippi mercenariis victoriam tulisse dicit. Quod ad bellum Olynthiacum recte referatur, an non, videbimus infra pag. 36. sqq. Paullo accuratius Diodorus Siculus lib. XVI. c. 53. — *ἐπὶ δὲ τὴν μεγίστην τῶν περὶ τοὺς τόπους τούτους πόλεων Ὄλυνθον στρατεύσας μετὰ πολλῆς δυνάμεως, τὸ μὲν πρῶτον νικήσας τοὺς Ὀλυνθίους δυσὶ μάχαις, συνέκλεισεν εἰς πολιορκίαν· προςβολὰς δὲ συνεχεῖς ποιούμενος πολλοὺς τῶν στρατιωτῶν ἀπέβαλεν ἐν ταῖς τειχομαχίαις. Τὸ δὲ τελευταῖον φθείρας χρήμασι τοὺς προεστηκότας τῶν Ὀλυνθίων Εὐθυκράτην τε καὶ Λασθένην, διὰ τούτων προδοθεῖσαν*

ad Ammaeum I. [8]) (de Demosthene et Aristotele inscr.) cap. 9. Vol. VI. p. 734. sq. ed. Reisk. hoc modo: „„Καλλίμαχος Περγασῆθεν. Ἐπὶ τούτου Ὀλυνθίοις πολεμουμένοις ὑπὸ Φιλίππου καὶ πρέσβεις Ἀθήναζε πέμψασιν οἱ Ἀθηναῖοι συμμαχίαν τε ἐποιήσαντο καὶ βοήθειαν ἔπεμψαν πελταστὰς μὲν δισχιλίους, τριήρεις δὲ τριάκοντα τὰς μετὰ Χάρητος, ἃς καὶ συνεπλήρωσαν.“ Ἔπειτα διεξελθὼν ὀλίγα τὰ μεταξὺ γενόμενα, τίθησι ταυτί· „Περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον Χαλκιδέων, τῶν ἐπὶ Θράκης, θλιβομένων τῷ πολέμῳ καὶ πρεσβευσαμένων Ἀθήναζε, Χαρίδημον αὐτοῖς ἔπεμψαν οἱ Ἀθηναῖοι τὸν ἐν Ἑλλησπόντῳ στρατηγόν· ὃς ἔχων ὀκτωκαίδεκα τριήρεις καὶ πελταστὰς τετρακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν, ἦλθεν εἴς τε Παλλήνην καὶ τὴν Βοττιαίαν μετ᾽ Ὀλυνθίων, καὶ τὴν χώραν ἐπόρθησεν.“ Ἐπειθ᾽ ὑπὲρ τῆς τρίτης συμμαχίας λέγει ταυτί· „Πάλιν δὲ τῶν Ὀλυνθίων πρέσβεις ἀποστειλάντων εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ δεομένων, μὴ περιϊδεῖν αὐτοὺς καταπολεμηθέντας, ἀλλὰ πρὸς ταῖς ὑπαρχούσαις δυνάμεσι πέμψαι βοήθειαν, μὴ ξενικὴν, ἀλλ᾽ αὐτῶν Ἀθηναίων, ἔπεμψεν αὐτοῖς ὁ δῆμος τριήρεις μὲν ἑτέρας ἑπτακαίδεκα, τῶν δὲ πολιτῶν ὁπλίτας δισχιλίους καὶ ἱππεῖς τριακοσίους, ἐν ναυσὶν ἱππηγοῖς, στρατηγὸν δὲ Χάρητα τοῦ στόλου παντός.“ “

τὴν Ὄλυνθον εἷλε· διαρπάσας δ᾽ αὐτὴν καὶ τοὺς ἐνοικοῦντας ἐξανδραποδισάμενος ἐλαφυροπώλησε. κ. τ. λ. Cap. 54. Οἱ δ᾽ Ἀθηναῖοι τὴν αὔξησιν ὑφορώμενοι τοῦ Φιλίππου, τοῖς ἀεὶ πολεμουμένοις ὑπ᾽ αὐτοῦ ἐβοήθουν, πρέσβεις ἀποστέλλοντες ἐπὶ τὰς πόλεις, καὶ παρακαλοῦντες τηρεῖν τὴν αὐτονομίαν, καὶ τοὺς ἐπὶ τὴν προδοσίαν ὁρμῶντας τῶν πολιτῶν θανάτῳ κολάζειν. Ἐπηγγέλλοντο δὲ πᾶσι συμμαχήσειν, καὶ φανερῶς ἑαυτοὺς πολεμίους ἀποδείξαντες τῷ βασιλεῖ, διεπολέμουν πρὸς Φίλιππον. Μάλιστα δ᾽ αὐτοὺς παρώξυνε προστῆναι τῆς Ἑλλάδος Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ, δεινότατος ὢν τῶν κατ᾽ ἐκείνους τοὺς χρόνους Ἑλλήνων. κ. τ. λ.

8) Confidenter, opinor, subscribendum judicio WEISKII V. D. in diss. de hyperb. P. I. p. 40. in annot: Hoc in Dionysii Halicarn. libello, quem Ammaeo inscripsit, quantum sit positum ad temporum illorum descriptionem, si reputo, animus horret cogitans, quibus in tenebris illo uno erepto versaremur.

Habemus igitur ter legatos Olyntho missos, ter Athenis auxilia. Accedunt totidem Demósthenis orationes. Hinc plurimos interpretes, ut orationum collocationem nunc missam faciam, in eo conspirare, ut legationem quamque oratio, orationem expeditio exceperit, quid mirum? Res nullam plane, opinor, haberet dubitationem, si totam Dionysio belli Olynthiaci descriptionem ex Philochoro transscribere placuisset. 9) Quod cum ab ejus consilio abhorreret, etsi vitio ei vertere non ausim, intempestiva tamen ista festinatio male viros doctos habuit. Etenim id ipsum, quomodo haec tria, legationes, orationes, expeditiones, inter se cohaereant, hodieque inter peritissimos ambigitur.

Ac primum Ruedigerus (Philipp. ed. 1. p. 74.) fidem Philochoro derogavit, cum in ipsis orationibus triplicis legationis, qua bene orator ad segnitiem civium instigandam uti potuisset, mentionem nullam inseri, Charetem jam rebus male gestis denuo ab Atheniensibus ducem creari, ipsum etiam Demosthenem alibi triplex auxilium ignorare videret: unde collegit, ipsas orationes non ita esse comparatas, ut una ex altera profecta esse videatur, verum suo quamvis modo animos eo deducere debere, ut quam celerrime opem cives ferant. Sed reprehensus eo nomine ac refutatus a Rauchensteinio (ed. pr. p. 17 sq. et p. 21.) nuperrime (Philipp. ed. 2. p. 69.) hujus in sententiam concessit. Scilicet multus ille in defendendo Philochoro (p. 18. sqq. et p. XVI. sqq.), quo demonstret, non uno quasi tenore omnes, sed triplici interjecta legatione suo quamvis loco orationem esse habitam. Post Ruedigerum haud sane diu est, cum alius isque alacer et promtus Philochoro con-

---

9) Ipsum Philochori librum inspexisse videtur Ulpianus, cujus in ἐξηγησ. ad or. Ol. II. haec leguntur: *ἰστέον δὲ ὅτι φησὶ ὁ Φιλόχορος, ὅτι τρεῖς βοήθειαι ἐπέμφθησαν, καθ᾽ ἕκαστον λόγον μιᾶς πεμπομένης, ὡς τῆς πρώτης μὴ οὔσης ἱκανῆς.* Nisi forte tale quid in Dionysii ad Ammaeum epistola se legere memoriter meminit.

surrexit adversarius, A. G. Beckerum dico, cui quae subtilia et arguta ingenium suppeditavit argumenta, in ea paullo accuratius nunc inquirendum esse censeo, quia Philochori patrocinium suscipere nobis in animo est.

Bipartita erit autem nostra disputatio. Videndum enim primum, quo jure Beckerus de Philochori fide derogaverit, tum quibus rationibus quam novam plane ea de re protulit sententiam confirmaverit.

Duobus maxime modis historici scriptoris in dubium vocari potest auctoritas: ut eum aut prae ingenii tarditate veritatem explorare nec potuisse nec voluisse probes, aut ex ipsa rerum narratarum cum aliorum, si qui in eadem re versantur, scriptis comparatione conjecturam faciens erroris eum arguas. Priori argumento Beckerum prorsus abstitisse non demiror, quippe cum in laude Philochori tantopere ad unum omnes consentiant[10]), ut cum ejus scripta periissent damnum, quod universae literae fecerunt, sarciri nullo modo posse videatur.

Sed alterum quod attuli argumentum Beckerus etiam atque etiam premit, instat, urget. Jam quo, quid rationis afferat, in omnium conspectum facilius cadat, non possum quin ipsa ejus verba hic subjiciam. „*Wenn man von dem bei Dionys. befindlichen Zeugnisse des Philochoros, dass Athen zu drei verschiedenen Malen Hülfe nach Olynth gesandt habe, diese drei Demosthenischen Reden u. ihren Erfolg abhängig machen will, so irrt man in doppelter Hinsicht. Einmal findet sich in der 2. Rede des Demosthenes durchaus keine Spur von so glänzendem Erfolge seiner 1. Rede; und anderseits scheint Dionysios selbst keineswegs um die von ihm gewählte Stellung der Reden zu vertheidigen, sich auf Philochoros Attische Geschichte berufen zu haben, sondern lediglich in der Absicht, um durch sie die Zeit u. Dauer des Olynthischen Krieges auszumitteln, wäh-*

10) Vid. quos laudat Rauchenstein. p. 20. et XIX. Cf. Lenz. Philochor. Athen fragm. ed. C. G. Siebelis (Lips. 1811) p. 5.

rend dessen Dauer Demosthenes jene drei Reden gehalten haben musste.“ (Dem. Phil. Reden I. p. 95. sq.)

Quae quamquam per se vera, haud scio tamen an ita non sint comparata, ut eis Philochori auctoritatem vel minimum imminutam opineris. Etenim oratorem in II. or. quod prima effecerat silentio transiisse, mirari non debebat is, quem his in orationibus earum, quae ordini constituendo inservirent, rerum potissimas quasque omissas esse nequaquam latere poterat. Sed de hac Demosthenis taciturnitate fusius disserendi occasio infra offeretur. Nec vero etiam majoris est momenti altera, quam subjicit Beckerus, ratio. Dionysius quo consilio ad Philochorum provocaverit, nostra nihil plane refert. Multis enim modis, prout diversum fuerit consilium, ad veteres scriptores provocari posse, non est quod pluribus exponam. Quid ergo? Erravit Dionysius? Minime. At provocavit ille tamen ad eundem, de cujus fide derogas, Philochorum. Quid tum? Verumne vidisse eum arbitramini, qui, quo testimonio jam antiquissimis temporibus ad demonstrandam suam rem vir magni nominis usus est, eodem nunc nos abstinere jusserit? Non ita est. Nec facile quisquam, opinor, contenderit, bello Olynthiaco tempus Philochorum recte statuisse, ea vero, quae de legatis atque auxiliis utrimque missis ibidem enarrantur, eundem temere ementitum et commentum esse. Accedit — id quod maximi momenti est — quod non invito haec Dionysio exciderunt, neque in transcursu quasi ac memoriter ab eo memorata sunt, — quamquam talia quoque, si accurate singula perpenderis, mirifice nonnunquam historiam illustrant, amplificant, enucleant [11]) — sed ipsa Philochori, quae huc pertinere

11) Huc pertinet, quem jam laudavi, locus Athen. X. p. 436. c. Narrat ibi Theopompus, Charidemum eo usque progressum esse intemperantiae, ut a senatu Olynthiorum adolescentulum aliquem poscere auderet, formosum venustumque, qui cum Derda Macedone ca-

viderentur, verba ex ejus Atthide exscripsit. Quamobrem si optio nobis est, utrum Philochoro fidem habere an derogare malimus, non amplius quaerendum arbitramur, quo ea Dionysius consilio attulerit, sed quo referri ea quoque modo intelligi Philochorus ipse voluerit. Atqui praeterquam quod de unius cujusque expeditionis exitu silentium est, nihil quidquam dubitanter ibi dictum vel obscure memoratum; sed plana et perspicua omnia: ter legati Olyntho missi, ter Athenis auxilia. Ergo levandam istam suspicionem atque a Philochoro removendam esse censeo.

Pergit Beckerus hoc modo: „*Angenommen indessen, dass die Hülfe, welche Athen leistete, u. zwar auf Betrieb jener Reden geleistet hätte, ganz auf die vom Geschichtschreiber beschriebene Art erfolgt wäre: wie käme es, dass Demosthenes selbst* d. fals. leg. p. 426. 10. ff. (§. 266) *die Hülfe der Athenäer ganz anders darstellt? Weshalb meldet er nicht die verschiedenen Absonderungen einzelner Heereshaufen u. die gleiche Zahl der Schiffe u. Mannschaft, welche beim Philochoros aufgezählt werden? Weshalb schweigt er über so glänzende Erfolge seiner Rathschläge in dieser Angelegenheit?*“ (l. l. p. 96.)

Quae quantam veri speciem prae se ferant, ex ipsis oratoris verbis intelligatur: *ἐπειδὴ δὲ τοῦθ᾽ οὕτω προήγετο καὶ τὸ δωροδοκεῖν ἐκράτησε, χιλίους μὲν ἱππέας κεκτημένοι, πλείους δ᾽ ὄντες ἢ μύριοι, πάντας δὲ τοὺς περιχώρους ἔχοντες συμμάχους, μυρίοις δὲ ξένοις καὶ τριήρεσι πεντήκοντα ὑμῶν βοηθησάντων αὐτοῖς, καὶ ἔτι τῶν πολιτῶν τετρακισχιλίοις, οὐδὲν αὐτοὺς τούτων ἠδυνήθη σῶσαι.*

Hic locus quantopere primo adspectu Philochori testimonio repugnare videatur, non est quod diffiteamur;

---

ptivus erat factus. His testimonium Philochori magnopere confirmatur. V. infr. p. 38. sqq.

hinc non mirere, quod jam olim illud Lucchesinius (ὡς ἐν παρόδῳ, ut ait, in annott. histor. p. 300. ed. Rom.) repudiavit, post eum Ruedigerus addubitavit. Sed Rauchensteinius (l. l. p. 21. et XIX. XX.) subtiliter atque dilucide demonstrat, tantum abesse, ut eo illud infringatur, ut alterum altero probari ac certissime confirmari videatur. Nimirum Demosthenes, si quando, hic oratorem egisse censendus est. Namque ejus non tam interest, artificiose unum quidque digerendo accuratam Olynthiorum historiam conscribere, quam cuncta complectendo universam horum temporum imaginem in omnium conspectu ponere; non quando bellum illud exarserit, vel quomodo in eo gerendo Olynthii se atque Athenienses gesserint, vult demonstrare, sed potius in hoc laborat, ut ostendat, Olynthiis olim res suas strenue gerentibus quantulamcunque subsidio missam manum suffecisse, post, ubi Macedonis largitionibus resistere desiissent, auxilio vocatos Athenienses ne maxima quidem armatorum copia Philippum propulsare, a servitute ipsos vindicare potuisse. Quare ne, quod auditoribus notissimum, longis ambagibus distrahat, rem verbis paullum exaggerans auxilia tria in unum oratorie comprehendit[12]),

12) Sed haud exigua tamen numerorum apud utrumque scriptorem discrepantia. Demosthenes X millia mercenariorum, IV mill. civium, L naves numerat, Philochorus tantum VIII mill. peditum, CCCCL equites, sed LXV naves. Adauctum numerum copiarum pedestrium oratori facile ignoveris. Sed mirum (ut et Rauchensteinio visum p. 53. annot. 8.) navium numerum quarta paene parte ab eodem diminutum. Quam rem non explicari posse opinatur R. nisi accipiamus, Demosthenem plenum numerum L navium praetulisse numero vero LXV navium.' Sed LX numerus vel LXX cur minus plenus sit, quam L, non video. Nec vero magis etiam arridet, quod idem ap. Brem. p. XX. propterea dicit navium numerum non urgendum esse, quia Chares, quum ab expeditione prima Athenas rediisset, ex eisdem, quas tunc habuisset, XXX navibus reductis tertiae expeditioni praefectus iterum naves XVII ducere potuerit: quas quoniam eaedem fuerint, Demosthenes bis numerare noluerit. Sed eadem pedestrium quoque copiarum ratio fuit; omnes enim ad unum

facilius ita civibus persuasurus, quam arcte sit turpis largitio cum reipublicae pernicie conjuncta.

Et vero alia quoque eaque major difficultas exoritur, si tam anxie urges Demosthenis testimonium, ut ad verbum illud intelligendum censeas. Etenim si tantis una missis copiis Athenienses cum sociis adversus communem Graeciae hostem dimicassent, Olynthios tam cito debellari et in servitutem asseri potuisse non est credibile. Quam atrox enim tot millium strages fuisset! Quam immortalis paene gloria loci! Quam famosa victoria! Quanta gloriolae Philippo, moeroris Atheniensibus insignia! Quae omnia sunt ejusmodi, ut vix aut ne vix quidem in oblivionem adduci potuerint. Itaque prius certe de Philochori auctoritate atque fide detrahere non ausim, quam aut haecce adversarii reprobaverint, aut graviora ad suam confirmandam opinionem argumenta attulerint.

Quae cum ita sint, haud scio an eam quoque, quam plane novam de his orationibus idem Beckerus profert sententiam, quidquid rationis afferat, in dubium jure ac merito vocemus. Scilicet ille non legationem quamque orationem atque expeditionem excepisse, sed oratt. I. et II. initio belli uno paene tenore habitas, III. demum absoluta prima expeditione secutam esse arbitratur; [13])

---

caesos esse profecto non credibile: verum earum tamen numerum perquam a Demosthene adauctum vides. Hinc suspicor, in verbis Dem. τριήρεσι πεντήκοντα librarii errorem delitescere. L enim naves hominum XIV mill. non suffecisse ex iis patet, quae de re navali Atheniensium copiose et subtiliter disputat Boeckh Oecon. polit. T. I, p. 296. sqq.

13) Non prorsus sibi reique indicatae V. D. constare videtur. Etenim antea semel tantum Olynthiis Athenienses subvenisse Demosthenem auctorem esse dixerat. Nunc vero ex orat. III. (II.) habitu ut aliquid certe auxilii post orat. II. missum esse colligi possit obiter largitur. Imo ipse in suspenso rem relinquit, l. l. p. 130. haec scribens: *Mag nun Demosthenes, was wir nicht wissen können, noch öfter in der Volksversammlung während der letzten Zeit*

(l. l. p. 98. et 130.) nullo modo enim ex orat. I. colligi posse, subsidia, quamquam promissa Olynthiis, revera tamen etiam submissa esse, imo castigare cives oratorem atque ut in segnes et inertes invehi, denique taceri quoque in orat. II. splendidum orationis I. eventum (p. 95—98.).

Quae omnia subtiliter sane et acute excogitata si concederemus, profecto adversariis, quippe quorum nullam in ea, quae nobis II. est, oratione missorum auxiliorum fieri mentionem vel maxime interest, erroris nos aperte convincendi potestatem ultro faceremus. Sed haec quoque probabili ratione refutare non magnum est negotium. Ac primum quidem, ne rem nostram praepostere agamus, dicendum est de oratoris, ex quo tota causa pendet, silentio, quo omnia fere Demosthenes transiit ea, quae si suppeditarent omnem rei controversiam dirimerent atque tollerent: legationes dico et auxilia utrimque missa, rationem belli atque eventum, nomina ducum, reliqua. Silentium illud omnes vehementer conquesti, perscrutati sunt paucissimi [14]), quo factum est, ut ipsius Demosthenis quod in dicendo habuit consilio non penitus perspecto, alii mirarentur, res tantas oratorem data peropportune occasione praetermittere, alii ex hoc silentio de ipsis rebus, quasi si gestae tunc non essent, conjecturam facerent. Pretium est igitur operae, paucis ea de re exponere.

Lex erat Solonis *περὶ τῆς τῶν ῥητόρων εὐκοσμίας* [15]),

---

des Krieges über diesen Gegenstand geredet haben, wodurch das von Philochoros gemeldete Resultat herbeigeführt worden seyn kann: die vorhandenen Reden beziehen sich sichtbar nur auf den ersten Zeitpunkt des Olynth. Krieges.

14) V. Rauchenstein p. XVII. Becker Phil. Red. p. 121. 122.

15) Hanc legem Aeschines sub init. or. adv. Ctesiphont. commemorat, atque interpretatur hunc in modum: *ἵνα ἐξῇ πρῶτον μὲν τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν πολιτῶν — σωφρόνως ἐπὶ τὸ βῆμα παρελθόντι, ἄνευ θορύβου καὶ ταραχῆς, ἐξ ἐμπειρίας τὰ βέλτιστα τῇ πόλει συμ-*

secundum quam vocata concione praeconium pronunciabatur hoc: *τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων*; Quam legem etsi jam Olymp. XCII. 3. Archonte Glaucippo abrogatam esse Tourrellus asseverat (habitae sunt autem orationes Olynthiacae Olymp. CVII. 4.), neglectam certe et obliteratam multis exemplis ostendit Schoemannus V. D. (de comit. Athen p. 105.): veri tamen est simillimum, nonnisi temporibus turbulentissimis pristinam Athenienses verecundiam ac modestiam adeo deposuisse, ut prorsus illius instituti immemores essent. Itaque nisi lege, more utique sancitum erat, ut ordine [16]) suggestum oratores conscenderent. Quin etiam ipse Demosthenes hoc sese habere dicit Philipp. I. init.

Quid impedit igitur, quo minus tum quoque, cum de auxilio Olynthiis mittendo aut non mittendo deliberabatur, eandem eum consuetudinem tenuisse statuamus? Et vero totus harum orationum habitus ejusmodi est, ex quo ab isto more tum abstitisse oratores vix quisquam colligat. Nam quae desiderantur, tam gravia sunt, ut nisi jam aliorum crebri sermones praecessissent omitti ea potuisse praefracte neges [17]), plures autem

---

βουλεύειν, *κ. τ. λ.* V. Petit. Legg. Att. in Jurisprud. Att. T. III. p. 290 sqq.

16) Hoc sensu fortasse vindicanda Xenophonti d. rep. Ath. I. 6. vulgata lectio: *εἴποι δ' ἄν τις, ὡς ἐχρῆν αὐτοὺς μὴ ἐᾶν λέγειν πάντας ἑξῆς, μηδὲ βουλεύειν, ἀλλὰ τοὺς δεξιωτάτους καὶ ἄνδρας ἀρίστους*: ubi pro *ἑξῆς* Schoemannus l. l. p. 103. corrigendum putat *ἐξ ἴσου*. Ingeniose profecto, sed contra libros omnes.

17) Aliter illud Ruedigerus p. 69. ed. nov. explicat: „Demosthenem ipsum videtur rerum male ab Atheniensibus gestarum poenituisse, ut earum mentionem oppremeret et potius ad auxilia strenue ferenda cives cohortaretur.“ — Sed hoc tantummodo ad oratt. II. et III. referri potest; nam in I. concione nondum incepto bello non erat, cujus eum poeniteret. At tamen ibi quoque ea omnia desideramus, quae, si omnium primus vel solus verba Demosthenes fecisset, necessario commemorare debuisset.

antea locutos esse pro certo affirmare audeas, si Atheniensium respublica quantopere jam tum de pristino suo statu declinarit reputes.

Legem Solonis aliam fuisse tradit (ap. Gellium N. A. II. 12. cf. Plut. Sol. p. 89.) Aristoteles, qua facta ob discordiam populi seditione, qui non alterutra parte se adjunxisset, hunc domo, patria, fortunisque omnibus carere, exulem extorremque esse lator jusserit. Quam legem etsi, ut pleraque Solonis instituta, jam dudum antiquatam tunc temporis fuisse credibile est, revera tamen eam, quippe Atheniensium ad discordias ac seditiones propensorum animis innatam quasi atque insitam, tunc vel maxime probatam omnibus fuisse testis ipse est Demosthenes, qui (or. Olynth. II. [I.] p. 26. 21. sqq.) cives hoc modo increpat: *Πρότερον μὲν γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰσεφέρετε κατὰ συμμορίας, νυνὶ δὲ πολιτεύεσθε κατὰ συμμορίας· ῥήτωρ ἡγεμὼν ἑκατέρων, καὶ στρατηγὸς ὑπὸ τούτῳ, καὶ οἱ βοησόμενοι τριακόσιοι· οἱ δ' ἄλλοι προςνενέμησθε, οἱ μὲν ὡς τούτους, οἱ δὲ ὡς ἐκείνους.* Sed generatim haec et universe. Confirmat ea atque amplificat Suidas, s. v. *Δημάδης* de isto oratore ita disserens: — *ἐπολιτεύσατο καὶ ἦν προδότης καὶ ἐκ τούτου εὔπορος παντὸς καὶ κτήματα ἐν Βοιωτίᾳ παρὰ Φιλίππου δωρεὰν ἔλαβεν. Οὗτος Δημοσθένει λέγοντι ὑπὲρ Ὀλυνθίων ἀντέλεγε.* Cf. Hauptmann. diss. de Demade in Orr. Gr. ed. Reisk. Vol. IV. p. 247. sq. Hinc Demades, acerrimus Demosthenis adversarius, Philippicae Athenis factioni videtur praefuisse. Sed si quis Suidae verba urgeat, non Demosthenem, sed Demadem ultimum existimet locutum esse, praesertim cum in oratt. Olynthiacis adversarii cujusquam mentio nunquam injiciatur. Verum audiamus ipsum Demosthenem orat. I. (III.) p. 14. 1. §. 16. sic loquentem: *ἐγὼ δὲ οὐκ ἀγνοῶ μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦθ' ὅτι πολλάκις ὑμεῖς οὐ τοὺς αἰτίους, ἀλλὰ τοὺς ὑστάτους περὶ τῶν πραγμάτων εἰπόντας ἐν ὀργῇ ποιεῖσθε, ἄν τι μὴ κατὰ γνώμην ἐκβῇ· οὐ μὴν οἴομαι δεῖν τὴν ἰδίαν ἀσφάλειαν σκοποῦνθ' ὑποστείλασθαι περὶ ὧν ὑμῖν*

συμφέρειν ἡγοῦμαι. Itaque Demosthenes certe posteaquam diu multumque ab oratoribus, in quibus Demades quoque, in utramque partem disputatum erat, se ipsum totam causam peroraturum esse putabat. Sed absoluta demum oratione Demades, utpote paratus semper et promtus ad dicendum [18]), quo citius plebis qui efferbuerat ingenii aestum reprimeret, suggestum fortassis in eadem concione denuo conscendit. Accedit huc, quod etsi Demadem nominare vel nominatim increpare aspernatus est Demosthenes — nam patriae qui prospectum consultumque vult inanes puerilesque rixas respuat necesse est — non prorsus eum tamen intactum atque inviolatum dimisisse videtur, si bene cepi exordium orat. I. (III.): *Ἀντὶ πολλῶν ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρημάτων* [19]) *ὑμᾶς ἑλέσθαι νομίζω, εἰ φανερὸν γένοιτο τὸ μέλλον συνοίσειν τῇ πόλει.* Audio perorantem Demadem, video exsurgentem ex subselliis Demosthenem, suggestum modico gradu scandentem, adversarium suum torvo

---

18) V. Plut. vit. Demosth. cap. 5. pag. 252. Eundem Demadem Demosthenes ipse quoque spectare videtur Or. I. (III.) init. verbis his: *ἀλλὰ καὶ τῆς ὑμετέρας τύχης ὑπολαμβάνω, πολλὰ τῶν δεόντων ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἐνίοις ἂν ἐπελθεῖν εἰπεῖν κ. τ. λ.*

19) *χρήματα* Ulpianus in *ἐξηγησ.* ad orat. I., eorum qui dicant, adversariis sese purgare velle oratorem, *ἐπειδὴ ὑπενοεῖτο, ὡς διὰ τὸ λαβεῖν χρήματα παρὰ τῶν Ὀλυνθίων λέγειν ἑλόμενος ὑπὲρ αὐτῶν* — aut *ἐπειδὴ ὑποψίαν εἶχεν, ὡς δεχόμενος τὰ χρήματα ἀπὸ τοῦ Περσῶν βασιλέως* — sententiis tamquam inanibus ac subtilibus refutatis „ad pecuniam theatralem refert, consent. Lucchesinio; alii eo oratorem retulisse putant, ut confirmet civium animos ad illam molestiam (tributorum) contemnendam. Videtur Demosth. utrumque spectasse.“ Ruedig. annot. ad h. l. Mihi neutrum probabile. Propius fortassis a vero abest Censor Apparat. crit. Schaeferi in Ephemm. Hall. a. 1828. supplem. n. 10., qui *ἀντὶ πολλῶν χρημάτων* communem significationem continere dicit, nostrum „*viel* (*Geld*) *darum geben*“ conferens; quamquam quos affert loci (Xen. Mem. II. 5. 3. Thuc. IV. 40. VI. 10.) ad rem non quadrant. Scripsisset auctor, nisi fallor, potius *πρὸ πολλῶν*.

vultu intuentem, exordientem denique hunc in modum: Permagnis, cives, divitiis (quales proditores, in quibus adnumerandus Demades iste, turpi largitione corrupti, sine negotio sibi comparare solent) patriae, opinor, salutem praetuleritis. — Gravis illa quidem et acerba criminatio, sed historia indice probata, eaque exordio maxime orationis conveniens, ubi recenti ira exacerbatus animus eam quo erumpat quaerit, mox placidae iterum sese daturus quietaeque constantiae. V. infr. p. 29. 30. Sed tam obscure haecce innuit orator tamque leviter perstringit, ut nisi divinando atque conjectando, quo sint referenda, non dispicias. Quis igitur Demosthenem in II. orat. subsidiorum quoque Olynthiis submissorum mentionem non inserere miretur? Quis, quaeso, quod, I. oratione quid effecerit, non idem in II. inflatis buccis jactet, inde nihil plane quidquam eum effecisse colligat? Quippe notissimam enim atque in vulgus pervulgatam rem non est quod repetat, adornet, augeat: imo splendidum orationis I. eventum, nisi fine orator vult excidere, ne verbo quidem tangi multum interest. Etenim in eo ibi est, ut civibus, cum res haud prospere cederent timore perculsis, animum reddat atque confirmet. Itaque infausto primae expeditionis exitu eventus orationis quoque quodammodo obscuratus et sublatus est. In tali vero rerum discrimine non inania jactare, sed meliora edocere, populum non temere palpare, sed ad praesens periculum propulsandum incitare juvat. Hinc etiam cur cives increpet orator sponte apparet. Non bellum male gestum, non acceptam cladem, non sumtuum in rem nequidquam impensorum magnitudinem urget, sed ignaviam usitatam ac torpedinem, quam Athenienses a prima expeditione reduces occupasse, et oratoris indignationem denuo movisse credibile est, accusat atque vituperat. Cf. p. 24. 15—29. §. 23. p. 25. 7. sqq. §. 24. 25. p. 21. 19—26. §. 13.

Quare miror, adduci potuisse Beckerum, ut, quod auditores ibi orator tam vehementer increparet, auxilia

nulla dum Olynthiis ante orat. II. missa esse existimaret. Quid? In orat. III. (II.) nonne multo animosius, iracundius, vehementius in eosdem Demosthenes invehitur? At tunc certe Athenienses opem sociis tulisse non est qui neget.

Unum restat, quod si premas, Beckeri rationem quodammodo defendere posse tibi videare.

Olynthios, cum tertio Athenas legatos mitterent, rogasse *μὴ περιϊδεῖν αὐτοὺς καταπολεμηθέντας, ἀλλὰ πρὸς ταῖς ὑπαρχούσαις δυνάμεσι πέμψαι βοήθειαν μὴ ξενικὴν, ἀλλ' αὐτῶν Ἀθηναίων,* auctor est Philochorus. Sed idem orator in I. et II. pariter atque in III. orat. civibus suadet, unde colligat aliquis, aut fidem non esse Philochoro habendam, aut tum, cum illud Olynthii petiissent, Demosthenem verba coram populo non fecisse. Verum ne hoc quidem argumento viri docti sententia confirmari poterit. Mercenariorum enim infirmitate ac segnitie jam e priorum bellorum exitu satis comperta atque cognita, jam ab initio statim orator ut ipsi cives stipendia mererentur instare potuit. Quum autem legati tertium Athenas missi, ut civilis auxilio sibi exercitus mitteretur, peterent, in III. demum orat. Demosthenes non potuit quin multo magis idem urgeret, posceret, flagitaret. Hinc consensum inter Demosthenem, Philochorum atque Dionysium extorquens Rauchenstein. p. 22. 23. et XX. XXI. „in prima, inquit, prudenter orator suos adhortatur, ut promtos se praebeant atque ipsi proficiscantur. p. 21. s. fin. (§. 13.), p. 25. s. fin. (§. 27.), p. 27. 8. (§. 31.). In secunda vero orat. (III.) rem illam nutu significat magis, quam verbis suadet apertis. p. 36. fin. (§. 30.) At in tertia (I.) p. 10. s. fin. (§. 6.) *καὶ αὐτοὺς ἐξιόντας καὶ μηδὲν ἐλλείποντας.* p. 10. init. (§. 24.) *στρατευομένους αὐτούς.*“ Sed haec cupidius et festinantius quam verius disputata mihi videntur. Quid enim clarius, quid apertius verbis hisce (Or. III. [II.] p. 38. 17. sqq. §. 35.): *οὐκ ἔστιν ὅπου τοῖς μηδὲν ποιοῦσιν ἐγὼ τὰ τῶν ποιούντων εἶπον ὡς δεῖ νέμειν, οὐδ' αὐτοὺς μὲν ἀργεῖν*

καὶ σχολάζειν καὶ ἀπορεῖν, ὅτι δὲ οἱ τοῦ δεῖνος νικῶσι ξένοι, ταῦτα πυνθάνεσθαι· ταῦτα γὰρ νυνὶ γίγνεται. Καὶ οὐχὶ μέμφομαι τὸν ποιοῦνά τι τῶν δεόντων ὑπὲρ ὑμῶν, ἀλλὰ καὶ ὑμᾶς ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν ἀξιῶ πράττειν ταῦτα, ἐφ' οἷς ἑτέρους τιμᾶτε.

Accedit huc, quam hactenus omnes, ut infra quoque videbimus, interpretes in harum orationum ordine constituendo haud jure neglexerunt, praesentis temporis cum pristina aetate comparatio, qua fit, ut ea, quae obscure Rauchensteinio dicta videbantur, aperta sint omnibus atque perspicua. Collatis enim inter se sui temporis hominibus atque majoribus p. 36. 23. sqq. §. 30. pergit ita: *τί δὴ τὸ πάντων αἴτιον τούτων, καὶ τί δήποτε ἅπαντ' εἶχε καλῶς τότε καὶ νῦν οὐκ ὀρθῶς; ὅτι τὸ μὲν πρῶτον καὶ στρατεύεσθαι τολμῶν αὐτὸς ὁ δῆμος δεσπότης τῶν πολιτευομένων ἦν καὶ κύριος αὐτὸς ἁπάντων τῶν ἀγαθῶν, κ. τ. λ.* Quibus accuratissime respondent ea, quae sub fin. or. p. 38. 24. sqq. §. 36. leguntur: *καὶ μὴ παραχωρεῖν (ὑμᾶς ἀξιῶ), ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῆς τάξεως, ἣν ὑμῖν οἱ πρόγονοι τῆς ἀρετῆς μετὰ πολλῶν καὶ καλῶν κινδύνων κτησάμενοι κατέλιπον.* [20]) Quare Rauchensteinius etsi bene vidit, offensioni fore, si ejus rei, quam tamquam summam peterent Olynthii, mentio vix fieret, haud scio tamen an opinioni mente antea comprehensae ac susceptae veritatem hoc in loco posthabuerit.

Quae cum ita sint, non certo quidem, ut verum fatear, vulgatus ordo historico argumento constitui potest, sed cum Philochori testimonio, quod non est cur in

---

20) Invitus pro nobis stat Ruedigerus, qui p. 38. 14. sq. §. 35. verba: *τὴν ἀταξίαν ἀνελὼν εἰς τάξιν ἤγαγον τὴν πόλιν*, ad belli immunitatem tollendam refert. Sed nisi fallor verbis quae sequuntur: *τὴν αὐτὴν τοῦ λαβεῖν, τοῦ στρατεύεσθαι, τοῦ δικάζειν, τοῦ ποιεῖν τοῦθ' ὅ τι καθ' ἡλικίαν ἕκαστος ἔχοι καὶ ὅτου καιρὸς εἴη, τάξιν ποιήσας*, satis orator declarat, se non solum disciplinam militiae, verum totam quoque rempublicam in meliorem ordinem redactam velle.

suspicionem vocemus, tam mire tamen conspirat, ut si internae quoque huc accedant rationes, non dubites quin multum ille praestet Dionysiaco.

Sed jam ad argumenta ex ipsis orationibus depromenda progrediamur.

Cap. II.

Cui maxime ordini totus orationum Olynthiacarum habitus suffragetur.

Gradatio ut ornatum affert orationi ab humilioribus verbis ad superiora gradatim ascendendo: ita cum ipsa orationis indole arctissime connexa facit, ut in argumentorum dispositione ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit, sed eo omnia ordine collocentur, ut aliud ex alio profectum et oriundum videatur. Hospiti orator consimilis. Etenim hospes, qui tenue primum et austerum vinum convivis apponit, sensim fervidiora promit ac languidiora, magnam sui bibentibus exspectationem facit et redeundi desiderium. Pariter orator, qui quae in promtu habet argumenta ita disponit atque ordinat, ut a levioribus exordiens ad potiora gradatim transgrediatur, gravissima perorans denique proponat, non dubium potest esse quin, quo velit, perducat auditores et abripiat. Quod si verum est, nec prorsus illo more Demosthenes abstinuit, haud scio an ex eo de orationum Olynthiacarum ordine quodammodo conjecturam facere possimus. At maximopere cavendum est, ne — quod viri quidam docti non satis attendisse videntur — justum modum hac in re migremus, ac plus ab oratore postulemus aut ei obtrudamus, quam revera dare aut potuit aut voluit.

Primus omnium, quod quidem sciam, Lucchesinius (Vol. II. p. 199. ed. Allen.) [21]) vulgatum ordinem defen-

21) Non magni sunt momenti argumenta, quae Lucchesinius ad

dens hoc argumento usus est. Secutus est in contrariam partem disputans RUEDIGERUS, cujus (in ed. nov. p. 72.), quae huc pertinent, verba haec sunt: „Possint sane vera videri, quae Lucch. affert ad vulgatam harum orationum collocationem defendendam; at si noster omni dicendi vi et argumentorum gravitate usus esset in orat. I., num sperare potuit, fore ut si in II. et III. minus acriter disputaret, animi quo vellet perducerentur? Hinc jure videtur haec oratio postremum obtinere locum."

Sed liceat hujus argumentationis veritatem paululum addubitare. Scilicet orator, qui argumenta sua ita disponit atque ordinat, ut ab inferioribus gradatim ad superiora ascendat, necesse est aut semel loquatur, aut si pluries, id sciat certe; quod si nescit, sed uno sermone totam rem se peroraturum esse putat, quae in promtu habet, cuncta necessario pronunciat. Utrum Demostheni contigerit, in oculos incurrit. Etenim ille cum primum Olynthiis opem ferre cives jussit, num scire potuit, iterum ac tertium sibi eadem de re loquendi datum iri occasionem? Num suspicari, hac prima oratione memoratu dignum nihil iri effectum? Num, quaeso, praesagire, civium ignaviam alteram, imo etiam tertiam sibi extorturam esse orationem? Nequaquam, puto. Sed auctoritate sua fretus et eloquentia, primoque statim impetu eo se cives perducere posse ratus, ut opem extemplo ferrent, Olynthios periculo eriperent, Philippum uno proelio devincerent, quae tam gravia hominibus desidiosis persuasuro suppetierunt argumenta uno tenore omnia proposuit. Non mirum igitur, statim ab initio oratorem periculum esse dicere, ne Olynthiis sociis recusatis, aut rebus, ut antea, segniter gestis mox ipsis Atheniensibus pro aris et focis cum Philippo dimicandum sit (p. 12.

---

ordinem vulgatum defendendum protulit; id quod de eo dici mirum esse nequit, qui hanc ipsam disputationem leviculam et minutam judicabat. Multus est in eis refutandis Rauchenst. l. l. p. 6—14. et XI—XV.

20. sqq. §. 12. p. 13. 16. sq. §. 15. p. 16. 25. sqq. §. 27.). [22]) Quod etiamsi, ut pleraque in hisce orationibus, confictum alicui ad terrendos auditores videatur — quam argumentationem *τὸ ἀναγκαῖον* vocant; vid. Voemel Dem. orr. Phil. V. p. 118. — non tamen negaverim, Demosthenem Philippi consilium, quod ceperat, ut postquam cum populis finitimis debellatum esset, reliquas Graeciae civitates adoriretur, jam dudum conjectura perspexisse. Quare si reipublicae consultum voluit, non potuit quin statim in I. orat. ejus rei mentionem inferret, qua maxime ad opem Olynthiis ferendam cives instigari posse scivit, quia sic tantummodo caveri potuit, ne in perniciem Athenienses, quam Philippus eis moliebatur, misere incurrerent.

Sed ponam nunc, suspicatum esse Demosthenem, fore ut iterum vel pluries eadem de re concionandum sibi esset, ponam gravissima quaeque eum ideo argumenta omisisse, quia ab humilioribus ad ea in prioribus oratt. memorandis gradatim ascensurus erat: pravam hanc esse dicendi rationem ac dedita opera perversam profecto omnes conclamarent; discipulum potius exercitationis causa in schola rhetoris, quam summum oratorem Athenis coram populo loqui opinarere. Etenim si

---

22) Hos locos Rauchenst. p. 32. et XXVIII. atque Ruediger. ed. nov. p. 73. afferunt, quo demonstrent, quia majus indicetur periculum, hanc esse III. orationem. Non eodem jure huc Ruediger. in annot. retulit locum, qui s. init. or. legitur, hunc: *ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μόνον οὐχὶ λέγει φωνὴν ἀφιεὶς, ὅτι τῶν πραγμάτων ὑμῖν ἐκείνων αὐτοῖς ἀντιληπτέον ἐστὶν, εἴπερ ὑπὲρ σωτηρίας αὑτῶν φροντίζετε.* Verissima ibi est Codd. plurimorum, quamquam editoribus tantum non omnibus (H. Wolfio, Reiskio, Augero, Ruedigero, Engelhardto, Bremio) non probata lectio *αὐτῶν*, sed ea nec cum Voemelio per *ὑμῶν αὐτῶν* explicanda, nec cum Engelh. ad praecedd. *τῶν πραγμάτων ἐκείνων*, sed ad *ἐκείνων* i. e. *Ὀλυνθίων* simpliciter referenda. Nam *αὑτῶν*, ut sit pro *ὑμῶν αὐτῶν*, ipsa verborum collocatione reprobatur. Tum necessario scribendum esset *εἴπερ αὐτῶν* sive *εἴπερ ὑπὲρ τῆς αὐτῶν σωτ. φρ.* Primario enim vocabulo prima sedes concedenda.

levissimis argumentis usus esset in or. I., quo demonstraret succurrendum esse Olynthiis, tantum abfuisset, ut cives ad opem ferendam inflammaret, ut non solum hac oratione nihil quidquam effecisset, verum graviora quoque argumenta proferendi, capta interdum a Macedone Olyntho, ne occasionem quidem posthac nactus esset. De tali igitur gradatione non cogitandum, dicendum potius de ea, quam ad ipsius orationis indolem sic accommodandam esse diximus, ut in argumentorum dispositione ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit.

Argumenta ex universo orationum habitu depromta quamvis interdum veritati explorandae mirifice inserviant, magna tamen cum cautione atque accuratissima diligentia colligenda atque componenda sunt propterea, quod ea sensu quodam interno ducti mente facilius comprehendere, quam oculis intueri possumus. Sed mirum tamen est, diversum adeo doctissimis viris veri sensum inesse, ut in contrarias plane partes discedant; unde nescio an possit aliquis colligere, plerosque aut opinione, in quam antea adducti erant, abreptos, aut rei difficultatibus deterritos non ea, qua par erat, diligentia et assiduitate hanc disputationis partem pervestigasse. Sed hoc perquirere tironem iisdem erroribus obnoxium dedecet. Neque enim diffitendum est, hanc rem magnam habere difficultatem, quoniam tam multa in utramque partem disputari possunt, ut primum certe, quo se vertat, suspensus animus frustra quaerat. Quare hic potissimum ἐκ τῶν εἰκότων tota causa pendet. Verum cum alii jam in ea re locarint operam, eorum maxime in comprobandis aut reprobandis sententiis nostra disputatio versabitur; quamquam reperisse quoque mihi videor, quae horum vel accuratissimam diligentiam effugerent.

Orationum Olynthiacarum in universum inter se comparatarum ea, quae nobis I. est, Dionysio III., argumentorum copia et gravitate ceteris longe praestat.

Summatim ibi autem pleraque tractantur, quae tum in II. et III. oratt. fusius et copiosius ornantur et augentur. Hinc tertiam potius esse, quae nobis prima, sunt qui colligant, quod, ut jam diximus, potissima quaeque perorationi reservari soleant, tum quod non sit probabile, in I. orat. breviter rem aliquam perstringi, latius vero exponi in II. et III. V. Ruediger l. l. p. 73. 74., qui res Philippi huc et controversias de pecuniis theatralibus referri vult, et Rauchenstein. passim in ed. pr. At profecto quid obstet, quo minus promiscue orator, ex inopinato praesertim pluries eadem de re loquendi data occasione, aut rem in I. orat. breviter memoratam in II. et III. copiosius explicet, aut in I. accurate expositam in sequentibus obiter pertingat, ingenue confiteor me dispicere non posse. Tam incerta enim haec atque fortuita solent esse, ut si eis tamquam argumentis nitare, verendum vehementer sit, ne res ad liquidum perduci numquam possit. Quare ea certe de causa oratio I. (III.), quod in ea res Philippi breviter tantum perstringuntur, accuratius in II. (I.) describuntur, de loco suo dimoveri nequit. Alia quaestio est, eaque subdifficilis, de pecuniis theatralibus, quam eodem argumento dijudicat Ruedigerus, hic tamen mittenda, quod accuratius de ea infra exponetur. Itaque monuisse satis habeo, in hisce rerum repetitionibus multum differre inter ea, quae Demostheni ingenium suppeditabat, et ea quae ad rerum et Philippi et Olynthiorum et ipsorum Atheniensium statum pertinent, quamvis tam raro talia tamque breviter commemorentur, ut eorum nexum vix divinando assequaris. Orator enim, prouti suppetunt, argumenta disponit, quae commentus ipse est: reliqua contra, historica dico, in alium ordinem redigere non potest, quam quo eo ipso tempore unum quidque gestum est. Huc spectat — de qua re infra dicetur pag. 60. sqq. — quod de Thessalis narratur or. I. p. 15. 18. sqq §. 22., repetitur or. II. p. 21. 13. sqq. §. 11.

Sed ut redeam, unde exorsus sum, argumento-

rum I. oratio, si cum reliquis comparatur, refertissima est.

Ac primum paucissimis praefatus, quippe de re omnibus nota locuturus, statim in mediam rem inducit auditores; decernendum esse et quam celerrime mittendum auxilium; mittendos legatos quoque, qui ejus rei Olynthios certiores faciant. Nunc demum exoptatam cum Philippo pugnandi occasionem obvenisse, eamque eo cupidius amplectendam, quod non ab aliis persuasi bellum Olynthii pararent, sed injurias acceptas a Philippo pro libertate pugnaturi ultum ultro irent. Philippum autem brevi in immensum adeo crevisse, ut, si Olynthiis suppetias non veniant, jam sit periculum, ne capta mox Olyntho ipsam Atticam adoriatur. Quare duplicem mittendum exercitum, unum Olynthiis opem laturum, alterum in ipsam Macedoniam invasurum. Largam quoque suppeditare pecuniam, temere eam quidem in alienas res insumtam, sed urgente periculo militibus reddendam; certe persolvenda militi stipendia, unde unde sumantur. Nec vero etiam omnia Philippo bene cedere: non cuncta primo impetu succumbere, Thessalos non amplius obsequi, Paeones quoque et Illyrios in libertatem se vindicaturos. Eo avidius igitur tenendam esse bellandi cum Philippo occasionem, quam ille, si obvenisset sibi, non dimitteret, praesertim cum optio data sit Atheniensibus, utrum malint ipsi in Macedoniam, an in Atticam Philippum bellum inferre. Nihil autem civitati bello intestino perniciosius. Itaque et divitibus, et militibus, et oratoribus in eo omnibus elaborandum, ut officia sua strenue ac feliciter exsequantur.

Haec omnia in I. concione dici potuisse non est qui neget, non potuisse in III. demum ex comparatione tantum primae orationis cum reliquis apparebit.

Oratio II. (I.) tota fere in malis moribus Philippi describendis versatur. Concludit orator inde, non tam formidolosum regem esse, quam forte suspicentur, quippe quum malae ejus artes, quibus tam celeriter crevisset,

nunc omnium sint in conspectu positae. Itaque ejus res ad instar aedificii, quod quia firmo careat fundamento diu stare non possit, non multum abesse quin misere corruant atque concidant. Olynthiis vero sociis celeriter subveniendum; certiores ejus rei faciendos Thessalos atque incitandos; omnia cupidius agenda. Tum socios diuturnis bellis afflictos ac fatigatos a Philippo defecturos; Macedones solos non metuendos esse, utpote turbam ex turbulentis, impudicis atque improbis hominibus conflatam. Sed Athenienses, dummodo vel paululum officiis suis satisfacere velint, multum tamen Philippo vel felicissimo praestare, quamquam mirum, languori nunc desidiaeque se dedere eos, qui suis olim impensis aliorum juribus patrocinati essent. Revocandam igitur pristinam reipublicae defendendae alacritatem, emendandam disciplinam bellicam, deponendam vitiosam in rebus summis aemulationem.

His accurate inter se comparatis apparet, non multum, ut quibusdam visum est, a vero aberasse Ulpianum, vel quemcunque harum animadversionum auctorem arbitreris, in ἐξηγησ. ad orat. II. (I.) scribentem haec: *ἡ μὲν ὑπόθεσις τοῦδε τοῦ λόγου καὶ τὰ κεφάλαια παραπλήσια τῷ πρώτῳ· διενήνοχε δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο μόνον, ὅτι ἐν μὲν τῷ πρώτῳ ζητεῖται, εἰ χρὴ βοηθεῖν τοῖς Ὀλυνθίοις· ἐν δὲ τούτῳ τὸ μὲν βοηθεῖν ἤδη δέδεικται, τὴν δὲ ῥώμην ὀκνοῦσι τοῦ Μακεδόνος καὶ τὴν ἰσχύν.* Quae ut refutet Rauchenstein. p. 6. et XXI. disputat in hunc modum: „Verum est in I. (nobis II.) orat. necessitatem demonstrari; verum hoc non eo fit consilio, quo quis statim ab initio inde ad rem quandam aggrediendam exhortari solet, sed quod ultimum temporis spatium supersit periculumque summum instet, nisi strenue rem statim aggrediantur.“ Ad quae in annot. 3. p. 52. ed. pr. C. G. E. Pinzger V. D. annectit haec: „In oratione enim ipsi I. (nobis III.) nondum, num omnino ferendum sit auxilium, quaeritur, sed quomodo celerrime et optime fieri possit.“

Sed ut discordiam istam adversariorum, quam commode in rem meam convertere possem, nunc missam faciam, quî, quaeso, clarius poterat orator, quod voluit, exprimere, quam verbis hisce: *ἔστι δὴ τά γ' ἐμοὶ δοκοῦντα, ψηφίσασθαι μὲν ἤδη τὴν βοήθειαν, καὶ παρασκευάσασθαι τὴν ταχίστην, κ. τ. λ.* Or. I. p. 9. 15. sqq. §. 2. Verum ne hoc quidem concedunt. Etenim refellere illud studet Rauchenstein. p. 35. [23]) argumento hoc: „Porro si qui erant, qui e verbis *ψηφίσασθαι μὲν ἤδη τὴν βοήθειαν*, Lucchesinio *ἤδη* vertenti „*nunc tandem*“ nimium confisi colligerent, nullas adhuc copias contra Philippum missas esse, eos pacatos videmus a Weiskio d. hyperb. p. 32. not.“ Cf. Ruediger. et Voemel. annott. ad h. l. Jam etsi Weiskio largior, „*decernere nunc tandem*“ paullo gravius sonare, quam *ψηφίσασθαι ἤδη*, nondum tamen adeo me pacatum fateor, ut, cum perperam aliquis hoc argumento usus sit, eodem prorsus abstinendum esse censeam. In part. *ἤδη* singularem hic inesse vim rectissime vidit H. Wolfius, qui expl. *ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, μηδὲν ἀναβαλλομένους.* Probat Beckerus l. l. p. 122. annot. 18. Item Ruedigerus *ἤδη* part. vv. *τὴν ταχίστην* respondere monens. Verum est etiam quod ad Viger. p. 413. observat Zeunius, *ἤδη* significare actionem maturatam. Accedit quod hoc statim ab initio orator urget atque flagitat; videtur ita, extemplo universam suam proferens sententiam, eorum, qui antea in contrariam partem dixerant, sententias repudiare et uno quasi ictu dirimere controversias. Quare perinde haec sunt intelligenda, ac si diceret: „Incassum tempus oratores sermonibus suis contriverunt. Verum enimvero auxilium, ut mihi quidem videtur, jam jamque decernendum, celeriterque ferendum.“

Gravius est autem ac magis ordini nostro congruens, quod dicit orator: *ψηφίσασθαι τὴν βοήθειαν*.

---

23) Id quod Weiskii causa moneo. Rauchensteinium enim in commentationis suae edit. altera hoc argumento destitisse video.

Nondum enim juncto foedere, id ipsum, sitne omnino mittendum auxilium, necne, in disceptatione adhuc versabatur. Atqui hoc tantummodo eo tempore in quaestionem venisse consentaneum est, quo primum Olynthii contra Philippum Athenienses implorabant, quoniam inita demum societate de auxilio mittendo nec deliberandum amplius, nec, quod jam dudum senatus populusque decreverat, iterum psephismate confirmandum erat. Hinc brevior esse potuit in orat. II. (I.) p. 21. 9. §. 11: *φημὶ δὲ δεῖν τοῖς Ὀλυνθίοις βοηθεῖν*, atque in III. (II.) p. 31. 6. sq. §. 10: *ὅτι μὲν δὴ δεῖ βοηθεῖν — πάντες ἐγνώκαμεν.* Quamobrem orationem eam, quae III. Dionysio est, in primo loco ponere non dubito. Sin autem hic de novis, imo tertiis subsidiis sermo esset, in castigando desides alacritatem certe atque propriam Demostheni perspicuitatem in dicendo plane desideraremus, id quod rectissime animadvertit Beckerus l. l. p. 122. sq.

Refutatum eo quoque putamus id quod Rauchenstein. l. l. adversus Ulpianum protulit: „ultimum temporis spatium superesse, periculumque summum instare, nisi strenue rem statim aggrediantur.“ Sed nisi mea me fallit opinio, tam simplicia sunt ac paene placida verba, quibus opem ferre cives jubentur, ut unde summum colligas periculum instare frustra quaeras. Itaque alio Rauchenst. p. 42. et XXII. argumento, sed eo haud graviori sententiam suam confirmare studet, depromto e verbis orat. I. (III.) p. 10. 27. sqq. §. 6. his: *οὐδὲ γὰρ λόγος, οὐδὲ σκῆψις ἔθ' ὑμῖν τοῦ μὴ τὰ δέοντα ποιεῖν ἐθέλειν ὑπολείπεται. Νυνὶ γάρ, ὃ πάντες ἐθρυλεῖτε, ὡς Ὀλυνθίους ἐκπολεμῶσαι δεῖ, γέγονεν αὐτόματον, κ. τ. λ.*, unde quomodo suos increpet orator, cum minus fecissent, quod fieri debebat, discamus. Quod quamvis magnam veri speciem habeat, mihi tamen secus videtur. Namque haec, ut alia multa in hujus orationis exordio (v. supra pag. 17.), ad ipsam concionem et ad eos referenda censeo, qui stantes a Philippo Atheniensibus ne opem Olynthiis ferrent in eadem concione dissuaserant. Ho-

rum argumentationem Demosthenes (p. 10. 7. sqq. §. 4.) refutat, comparatam fere, si quid video, hunc ad modum: Bellum cum Philippo gerendum neque utile civitati fore — periculum enim esse, ne qui a decretis populi pendeant succumbant ei, penes quem summum imperium sit — nec necessarium esse, quod veri sit simillimum Olynthios mox cum Philippo in gratiam esse redituros. Jam illis hòc Demosthenes largitur, ut multum quidem in bello Atheniensibus Philippus praestet eo, quod omnes ad ejus arbitrium atque nutum totos sese fingant: idem tamen simul obstare etiam dicit, ne in Philippi fidem atque potestatem Olynthii se permittant; scire eos enim, ultro se dedentibus Philippo quid sperandum. Quae si reputatis, inquit, non poteritis, quin opem celeriter Olynthiis feratis; *οὐδὲ γὰρ λόγος οὐδὲ σκῆψις ἔθ᾽ ὑμῖν τοῦ μὴ τὰ δέοντα ποιεῖν ἐθέλειν ὑπολείπεται*, i. e. exhausta jam sunt bona oratorum latera, refutata prava suadentium argumenta, nec officio suo defuturis, quod praetexant, quidquam superest. [24]) Hinc castigatis paullum civibus, quod occasionem Philippum puniendi jam dudum exoptatam, nunc ultro obvenientem non avidissime arripiant, ad ea demum commode procedit, quae suae ea de re sententiae et illustrandae et commendandae inserviunt.

Verum est igitur, quod dicit Ulpianus in I. or. (III.) quaeri, num auxilio sit Olynthiis eundum, in II. (I.) opitulandi necessitatem jam demonstratam esse. Futilius

24) Quae si vere a nobis disputata sunt, haud scio an eo quoque vulg. ordinem tueri possimus, quod tantummodo in or. I. (III.) talia nobis reperisse videmur, quibus reliquorum oratorum contentiones compescere atque refutare Demosthenes studeat. Etenim cum in eo isti maxime laborarent, ne societas cum Olynthiis iniretur, frustra autem hunc laborem susciperent, foedere facto non amplius eos aperte Demostheni adversatos esse verisimile est. Nec vero etiam in II. et III. orr. in singulos quosdam invehitur Dem., sed in universum partium studium malasque oratorum artes vituperat. V. II. (I.) p. 26. 21. sqq. §. 29. III. (II.) p. 34. 11. sqq. §. 21.

est autem, quo idem deinde utitur, argumentum hoc: *δείκνυται δὲ ὢν δεύτερος οὗτος ὁ λόγος ἐκ τῶνδε· ἐν γὰρ τῷ πρώτῳ περὶ τῆς τῶν θεῶν εὐνοίας ἀποδείξεις παρασχὼν, ἐνταῦθα ὁμολογουμένην παρέλαβεν.* Quod etsi aut refutare aut confirmare vix operae pretium est, tamen in illud quoque inquirendum censuerunt ll. ll. Rauchenst. p. 9. et XII. Becker p. 119. Quae ut cupidius ibi disputata sunt, ita approbationem et assensionem frustra requirunt. Namque ejusmodi illud est, ut vel inscienti oratori facile excidat; qua argutiola si quis in re ambigua tamquam argumento utatur, haud scio an, ne dicam injuriam, moram certe inveniendae veritati inferat.

Sed ut ad exordium orat. II. (I.) redeam, Demosthenem propterea ibi paucis verbis ad instigandos ad auxilia ferenda cives usum esse contendit Rauchenst. p. 6. (brevius paullo p. XI.) quod rei necessitatem omnes perspecturos esse jure credidisset; eis contra eum, quae maximi momenti essent, plurimum temporis operaeque tribuisse. At nisi in orat. I. quoque maximi momenti erat hoc, ut auxilium cives ferre juberentur, egregie fallor. Pone, bellum nondum esse decretum, missos Olyntho, qui Atheniensium auxilium implorarent, multum oratores in eam partem, ne suppetias irent, disputasse, jam Demosthenem conscendere suggestum, eundum esse civibus persuasurum: num, quaeso, consentaneum est, id eum, quod paene solum in quaestione versabatur, quodque ipse demum disceptaturus erat, vix verbo perstrinxisse, imo de Philippo prius contemnendo ac puniendo, quasi si bellum jam decretum esset, subtiliter et copiose disseruisse, quam ostendisset, e republica fore, si Olynthiis patrocinarentur? Non ita est. Etenim perversa haec atque praepostera loquendi ratio ne argutissima quidem argumentatione excusari possit, nedum ut ea Demosthenes, quem cum Cicerone plane perfectum et cui nihil admodum desit, facile dixeris, usus esse videatur.

Quamobrem non est, cur primo loco eam orationem

depellamus, in qua, quae proponenda erant, omnia subtiliter ac justo ordine disposita esse supra demonstravimus. Aptissime hanc secunda (I.) excipit, in qua quod primarium erat in I. (III.) leviter tantummodo perstringitur, — demonstrata enim necessitate atque inita societate cum succurrendum Olynthiis esse Athenienses ipsi viderent, revera autem succurrere prae desidia dubitarent, satis nunc habet orator, iterum eos instigare atque ab officio ne decedant cohortari — uberius et fusius de tali re exponitur, quam, accurate ejus investigata ratione, in I. praetermissam non mirere: illud dico, cujus mentionem facit Ulpianus l. l.: ἐν δὲ τούτῳ (II. orat.) τὸ μὲν βοηθεῖν ἤδη δέδεικται, τὴν δὲ ῥώμην ὀκνοῦσι τοῦ Μακεδόνος καὶ τὴν ἰσχύν. Scilicet secundum Philochorum l. l. Olynthiis Athenienses Charete duce triremes XXX, cetratorum II millia auxilio miserant. Quamvis autem he hujus expeditionis eventu scriptores taceant omnes, non multum tamen Athenienses isto exercitu profecisse credibile est, quoniam paullo post Olynthii nova sociis subsidia imperabant. Jam utut res haec sese habet, etsi incertum est, acceperintne pugnae cladem Athenienses, necne, usu tamen eis venit, ut aut ex assiduo labore molestiam trahentes, aut Philippi, quam in urbes Chalcidicas adhibuit, saevitia ejusque arte imperatoria — vel adversario probata: or. I. (III.) p. 10. 7. sqq. — perterriti militiam subterfugere studerent. Quare in eo nunc maxime versatur Demosthenes, ut timorem istum civibus eripiat, non justum ac necessarium, sed spe potiundae Graeciae paratum bellum gerere Philippum ostendat, suspectum ideo sociis stipatumque flagitiosorum hominum caterva nunc quidem secunda fortuna efferri, sed brevi, si vel paululum offendisset, omnia in ejus perniciem eruptura esse demonstret, imo pulchre asseveret, Macedonem se, dummodo ne prorsus officio suo desint Athenienses, vel fortunatissimum nihili facturum esse.

Quae omnia eo consilio Demosthenem afferre, ut

civium animos augeat, neminem fugit. Hoc autem argumento duos parietes, ut in proverbio est, de eadem fidelia dealbare posse mihi videor. Etenim et Dionysii Halic. et Beckeri de oratt. Olynthiacis eo refutari arbitror sententias, qui tamenetsi de orationum collocatione inter se valde discrepant, in eo tamen conspirant, ut ante orationem, quae II. nobis, I. Dionysio, nulla Olynthiis auxilia Athenis missa esse censeant. Quod quibus praeivit Dionysius ut contendere ipsa re coguntur, ita in eorum sententiam Beckerus quoque discessit, quod, ut supra pag. 13. ostendimus, Philochori testimonium addubitans, I. et II. oratt. uno paene tenore habitas esse opinabatur. Verba ejus, quae huc pertinent, haec sunt: „*Die II. Olynthische Rede ist vielleicht, wie manche Umstände vermuthen lassen, sehr bald nach der I. gesprochen, da die Ausführung der verheissenen Hülfe theils durch Mangel an Geldmitteln sich verzögert, theils durch Muthlosigkeit der Athenäer hinausgeschoben wurde.*“ (l. l. p. 96. sq.)

Sed neutrum verisimile est. Nam si prolatatum adeo esset post I. orat. auxilium, ut ejus accelerandi causa iterum de suggestu loqueretur Demosthenes, non potuisset profecto quin omnem laborem, operam, curam, studium in eo consumeret, ut civibus, nunc demum Olynthiis succurrendum esse, persuaderet. Sed satis habet in transcursu quasi monere: *φημὶ δὲ δεῖν ὑμᾶς ἅμα τοῖς μὲν Ὀλυνθίοις βοηθεῖν, καὶ ὅπως τις λέγει κάλλιστα καὶ τάχιστα, οὕτως ἀρέσκει μοι.* p. 21. 9. sqq. §. 11. Multus contra est in metu civibus adimendo, in spe perterritis facienda, in animo cunctantibus reddendo. [25]) Quod quam parum, si Philochorum sequaris, orat. I., quam

25) Vere dicit igitur Ulpian. l. l.: *κεφάλαιον δὲ ἐν μὲν τῷ πρώτῳ ἐπὶ πολὺ τὸ συμφέρον, ἐπ' ὀλίγον δὲ τὸ δυνατόν· ἐνταῦθα δὲ τὸ ἐναντίον· πολὺ μὲν τὸ δυνατὸν, ὀλίγον δὲ τὸ συμφέρον.* Quocum consentit Gregor. Cor. p. 949. Reisk.: *παραθαῤῥύνων γὰρ τοὺς Ἀθηναίους ἐπὶ τὸν κατὰ Φιλίππου πόλεμον, κ. τ. λ.*

apte II. conveniat, pluribus jam demonstratum est. Huc accedit quod nihil erat, cur bello nondum incepto Philippum Athenienses tantopere extimescerent; neque enim facile tum belligerandum esse decrevissent. Verissimum est igitur, quod dicit Vir Clariss. Jacobs in Dem. Staatsr. p. 214.: „*Es ist sehr wahrscheinlich, ddss sich in den Gemüthern des Volks schon eine starke Neigung für das Bündniss gezeigt hatte.*“ probatum illud ipsi Beckero l. l. p. 97. et Rauchensteinio p. XIV.

Quae cum ita sint, non ausim dubitare, quin ordini Dionysiaco vulgatus longe praestet.

Jam pergendum est ad Orat. III. (II.), ut hanc quoque jure locum suum obtinere demonstremus.

Existit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis: num, quae tradunt historici, ex omni parte recte in suam rem converterint adversarii.

Inter hanc et reliquas orationes quid differat, jam ex ejus, quam III. vocamus, exordio judices, ex quo de iis, quae praecesserint, conjectura facile fieri potest, quum e prioribus vix gestum quidquam esse colligas. In I. (III.) nimirum oratione ut bellum gerant civibus orator suadet, cur gerant declarat, quomodo gerant ostendit. In II. (I.) segnitiem civium castigat, metu segnes liberat, ad laborem militiae iterum suscipiendum metu perculsos incitat. Jam vero in III. (II.) tantum abest, ut iisdem utatur argumentis, ut ab initio statim metum civibus injicere magis quam adimere videatur. Itaque ut stimulantur antea, ita nunc coercentur auditores. Sed unde tam subita consilii mutatio? Nonne pendens ea ex ipsa rerum commutatione? Videmus autem, animum Atheniensibus, quem post primam expeditionem reduces facti desponderant, nunc post secundam subito redditum atque auctum esse; id quod inde certo colligas, quod non amplius de sociis servandis, sed jam de ipso Philippo ulciscendo cogitabant. Hinc prospere cum Macedone dimicasse Athenienses, certe victoriae rumorem, ut vero nuntium mirifica jactantem Athenas perlatum

esse credibile est. Hoc jam LIBANIUS vidit, in argum. Or. III. (I.) scribens: *ἔπεμψαν βοήθειαν τοῖς Ὀλυνθίοις οἱ Ἀθηναῖοι, καί τι κατορθοῦν ἔδοξαν δι' αὐτῆς.* [26]) Sed ea ipsa victoria quae fuerit, a quo et quando, ubique reportata, incertum est. In quam nunc eo accuratius inquirendum mihi esse duco, quo saepius eadem de re dicendi praetermissa est a doctis viris occasio.

Ac primum prouti aut Dionysio in ordinandis oratt. adstipuleris, aut vulgatum ordinem sequaris, alterutrum probandum est, aut CHARETEM aut CHARIDEMUM istam ex Macedone victoriam tulisse, — hos enim primae ac secundae expeditioni praefuisse auctor est Philochorus — nisi cum Beckero ante II. orat. nulla Olynthiis subsidia submissa putas; quod tamen in quam levibus nitatur argumentis supra demonstratum est.

CHARETEM igitur, qui cum Dionysio hanc II. faciunt orationem, tunc belli victorem fuisse contendunt, coacti illi quidem quasi necessitate, sed confirmati quoque, ut opinantur, Theopompi testimonio, cujus verba Athenaeus lib. XIV. p. 532. d. e. haecce refert: („*ἐν δὲ τῷ ἐπιγραφομένῳ τοῦ Θεοπόμπου συγγράμματι· Περὶ τῶν ἐκ Δελφῶν συληθέντων χρημάτων·*) „*Χάρητι* (*φησὶ*) *τῷ Ἀθηναίῳ διὰ Λυσάνδρου* [27]) *τάλαντα ἑξήκοντα· ἀφ' ὧν ἐδείπνισεν Ἀθηναίους ἐν τῇ ἀγορᾷ, θύσας τὰ ἐπινίκια τῆς γενομένης μάχης πρὸς τοὺς Φιλίππου ξένους*“ (*ὧν ἡγεῖτο μὲν Ἀδαῖος, Ἀλεκτρυὼν ἐπικαλούμενος,*“ *κ. τ. λ.*). At

---

26) Quocunque ex fonte Libanius, quae narrat, hauserit, haud merito vituperatus est a Rauchensteinio p. 3. et XIX. Vituperato tamen patrocinatus est Beckerus Philipp. Red. p. 116. 117.

27) Sub duobus verbis *διὰ Λυσάνδρου* longe aliud quid latere suspicatus est Schweighaeuserus, legendum esse censens *διαναλωθῆναι*. Sed nihil mutandum. Tradita est pecunia Chareti per Lysandrum quendam, qui intercessorem egit. Neque etiam omissum verbum offendit, si statuamus, Theopompum in hoc libello non tam continuatam templi expilationis narrationem, quam tabulas expensi exhibuisse. Facile autem ex eis, quae praecesserant, *ἐδόθη*, vel tale quid, suppleri potest.

haud scio an haec Charetis victoria ad bellum Olynthiacum referri non possit.

Suspicionem mihi primum injecit inscriptio libri Theopompei: *περὶ τῶν ἐκ Δελφῶν συληθέντων χρημάτων,* in quo pecuniarum e Delphico thesauro sublatarum rationem auctor iniisse videtur. Commissum esse triplex sacrilegium a Philomelo Phocensi, viro consilio manuque conspicuo, ejusque fratribus Onomarcho et Phayllo (Olymp. CVI. 2. 4. CVII. 1.) narrat Diodorus Sic. lib. XVI. cap. 23—40. Hinc bellum sacrum ortum ac Thebanorum auspicio contra Phocenses gestum. Athenienses magis odii, quod erga Thebanos susceperant, explendi, quam sceleris excusandi causa auxilium Phocensibus promittere, sed victo paullo post caesoque Philomelo incepto paullisper absistere. Verum brevi Onomarcho quoque in Thessalia ad internecionem caeso a Philippo, jam sociis extrema metuentes Phayllo, novo Phocensium duci, auxilio mittunt V millia peditum et CCCC equites, duce Nausicle (Olymp. CVII. 1.).

Jam vero Chares, si quando, tunc temporis aurum Delphicum acceperit necesse est; nam neque antea de Macedonibus eum victoriam tulisse, nec postea templum denuo compilatum esse scimus. Sed miro quodam consensu scriptores omnes altissimum ea de re silentium tenent, quod rumpere incuria Diodori, captatio nugarum Athenaei non curavit. Videamus ergo, quid conjectura consequi possimus.

Eodem anno, quo Phayllus in Boeotiam progressus tribus proeliis victus erat (Olymp. CVII. 1.), Philippus rex, cujus potiundae Graeciae spes jam maturuerat, in Phocidem invasurus perrexit versus Thermopylas. Hunc aditu arceri Phaylli plurimum intererat. Cum autem ipse duobus bellis par non esset, sacrae pecuniae LX talenta Chareti Atheniensi, viro hoc tempore plebi maxime accepto, misisse videtur, quo ad bellum ille cives cum Macedone gerendum perpelleret. Itaque classem cum exercitu Charetis non solum suasu, sed etiam ductu atque

auspicio missam Pylas occupasse verisimile est. Sed de victoria, inquies, silentium est. At ponas, quaeso, hinc Macedones, illinc Athenienses ad Pylas advolare, nonne aut prima utriusque exercitus agmina statim manus conseruisse, aut posteaquam spe frustratus Philippus pedem retulerat, eo ipso Charetem ferociorem factum in abeuntes impetum fecisse, atque ab extremo hostium agmine levem victoriam retulisse credibile est? Et vero perquam levem istam victoriolam fuisse cum ex scriptorum paene omnium silentio, tum ex fragmento Heraclidis, poetae comici, quod l. l. adjungit Athenaeus, satis colligi potest; quin etiam ipsius Theopompi verba ita comparata sunt, ut eum non simpliciter res Charetis enarrare, sed hominis turpitudinem et impudentiam castigare velle opineris.

Hinc patet, Theopompi locum in Olymp. CVII. 1. aptissime quadrare. Eundem vero qui ad bellum Olynthiacum referri voluerunt, ne dubitasse quidem de hac re videntur, satis habentes invenisse, quod quodammodo cum rebus suis conspiraret. Sed bellum Olynthiacum exarsit anno 4. demum Olymp. CVII. Corruptus largitione Chares anno ejusdem Olymp. 1. Itaque quatuor paene anni intercessere. At Charetem tam diu pecuniis istis pepercisse haudquaquam credibile est, quippe quem ne alienis quidem ac publico usui destinatis abstinuisse scimus. (Athen. XII. p. 532. c. d.). Quo factum est, ut postea belli Olynthiaci rationem redditurus omni arte cives eludere conaretur (Dionys. Halic. ep. ad Ammaeum I. c. 8. T. VI. p. 734. 4. sqq. ex Aristot. rhetor. III. 10.).

Quae cum ita sint, victoriam istam, quam ex Macedonibus relatam esse ex orationis III. (II.) exordio collegimus, Charidemo tribuendam esse sponte apparet. Sed de hoc quoque, quod ad bellum Olynthiacum attinet, liquido dici nihil potest; quamquam, si libera de eo conjectura est, eodem Theopompo duce illud demonstrare posse mihi videor. Etenim narrat iste apud Athenaeum lib. X. p. 436. c. tantam fuisse Charidemi lasci-

viam atque libidinum intemperantiam, ut a senatu Olynthiorum puerum aliquem formositate insignem poscere auderet, *qui cum Derda Macedone captus esset.* Hinc optimo jure concludi posse puto, secundis avibus Olynthios et Athenienses eo tempore cum Macedonibus contendisse. Captivos enim credibilius est victos, quam victores fuisse. Sed quis ille Derdas Macedo? Nomen Macedonicum idque regiae stirpi familiare fuisse tradit Thucydides I. 57. 59. coll. Schol. Quamobrem cum adolescentulus ille cum Derda Macedone, tamquam omnibus noto, nulla vel temporis vel belli mentione facta, captus esse dicatur, hominem istum et genere, et ordine et honore ornatissimum fuisse suspicor, aut cognatione — quae Philippo amplissima erat — cum rege conjunctum, aut ex nobili certe Macedoniae stirpe oriundum, ideoque fortasse mercenariorum parti praefectum, victum denique Charidemo duce et captum ab Olynthiis. Sed est in hisce tamen, quod merito offendamus. Quis enim credat, Charidemum, virum audacissimum ac tam vel barbaris acceptum, ut Thraciae rex sororem ei collocare non dubitaret, petiisse ab Olynthiorum senatu puerum eodem proelio captum, quo ipse hostes vicerat atque in fugam dederat? Victoriam igitur Olynthios reportasse, Charidemum eam sibi arrogasse arbitror. Utcunque autem res haec sese habeat, videtur Charidemus victoriam illam tamquam suam, qua erat insolentia et jactatione, mirum in modum exornatam atque exaggeratam Athenas nuntiasse. Jam cives, optatissimo ad se perlato nuntio, mirum quantum superbientes et prorsus profligatos Macedones rati, ultionem a Philippo acceptarum injuriarum exigendam esse universi conclamare, oratores populo palpare, assentiri, miscere ac turbare omnia. At brevi novi sociorum legati adventare, furore Atheniensium stupere, sciscitari, obloqui, periculum jam propius instans ostendere, auxilium denuo implorare. Hinc exordium illud acerbitatis et severitatis plenum: *οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅταν τε εἰς*

τὰ πράγματα ἀποβλέψω, καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω· τοὺς μὲν γὰρ λόγους περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι Φίλιππον ὁρῶ γιγνομένους, τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα, ὥστε ὅπως μὴ πεισόμεθα αὐτοὶ πρότερον κακῶς σκέψασθαι δέον.

Duo autem sunt potissimum, quae hac in oratione Demosthenes vituperat: plebis dico intempestivum animi fervorem atque impudentem oratorum audaciam. Etenim non prius de ulciscendo Philippo cogitandum esse dicit, quam socii ex belli ore erepti ac servati essent; quod nisi fiat, non modo datam sociis fidem violari, sed in apertam quoque perniciem rempublicam incurrere. Metuendum enim, ne Olyntho capta Philippus derepente in Atticam invadat. Injurias autem ultum euntibus pristinam et usitatam obstituram esse segnitiem. Itaque opem strenue ferendam (quod distinctius in or. I. p. 9. 15. sqq. §. 2., inita societate brevius in or. II. p. 21. 9. §. 11. expresserat, copiose iterum in III. p. 30. 8. sqq. §. 6. exponit, quia rhetorum ferocia factum est, ut rursum illud in quaestionem veniret); designandos etiam nomothetas, qui leges theatrales abrogent, militibusque reddi curent ea, quae in res alienas temere jam dudum insumantur.

Hinc venustus transitus fit ad alteram orationis partem. Acute Ulpianus ad p. 32. 8. sqq. *οὐ μὴν οὐδ' ἐκεῖνο γ' ὑμᾶς*] *Ἀντίπιπτον ἐπανορθοῦται, μηδὲν φοβηθῇς, ὦ Δημοσθένης, τὸν νόμον λύσας· ψήφισμα γὰρ ποιοῦμεν, ὥστε λυθῆναι· τί οὖν, φησιν, ἂν ψηφίσητε μὲν, μηδὲν δὲ πράξητε τῶν ἐφεξῆς, οἷον ἐὰν μὴ συνέλθητε ὥστε λῦσαι, ἢ συνελθόντες μὴ λύσητε, τί τὸ κέρδος τοῦ ψηφίσματος;* Graviter hic orator Athenienses increpat, quippe ad concionandum atque decernendum semper paratissimos, stare contra decretis ac parere nescios; hac autem prava consuetudine res Philippi tam ingenti incremento auctas esse. Jam ad oratores sese convertens in eos quoque, quamquam caute, omnem iram effundit. Isti enim ex quo populi gratiam sibi conciliare, quam patriae consul-

tum maluissent, pristinam Atheniensium gloriam periisse, imo adeo cives a virtute majorum degenerasse, ut nihil quidquam sit, in quo non eis illi longe multumque praestitissent.

Egregiam huc orator sui cum priori tempore annectit comparationem, qua ut supra Philochori testimonium confirmari dixi, ita nunc in universum eam ad orat. III. aptissime quadrare demonstrabo.

Scilicet diversa quidem, ut paullo rem altius repetam, ad persuadendum idonea argumenta cuique suppeditat ingenium, sed ita tamen ad rationis ea normam dirigere solet, ut persuadendi ratio secundum auditorum atque temporis conditionem accommodetur. Etenim qui persuadere quid conatur alicui, non omnia debet, prout quidque in mentem venit, promiscue effutire — non prius quomodo sit agendum dicere, quam aut quid aut num quid omnino agendum demonstratum fuerit — sed eo quidque ordine collocare, ut unum ex altero necessario profectum et oriundum videatur. Sed quoniam in dicendo, quod ipsum Demosthenem dixisse ferunt (V. Cic. Brut. c. XXXVIII.), omnium primum et solum fere actio est, ea quoque verbis accuratissime congruat oportet. Atqui omnis motus corporis ab animi motu pendet, ejusque quasi imaginem repraesentat ac simulacrum. Patet igitur, haec tria, affectum, orationem, gestum, arctissime inter se cohaerere, ita ut, quo quid intelligi velis simplicius, eo placidior sit animi, lenior corporis motus, eoque mollior oratio, quo quid auditori gravius persuaderi, eo vehementius vocem contendas, pedem supplodas, irascaris, convicieris, ad ultima quaeque confugias. Hoc autem usu tum maxime probari, cum frustra quis consumta in suadendo opera idem iterum iterumque suadere cogitur, testis est in orationibus Olynthiacis Demosthenes. In I. (III.) orat. belli necessitatem ac rationem ostendit, cives ut pristinam nunc demum desidiam deponant leniter commonet, pag. 11. 7. §. 8. οὐ δεῖ δὴ τοιοῦτον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, παραπεπτωκότα καιρὸν

ἀφεῖναι, οὐδὲ δὴ παθεῖν ταὐτὸν, ὅπερ ἤδη πολλάκις πρότερον πεπόνθατε, κ. τ. λ. Mittunt exercitum Athenienses, nihil proficiunt. Novi legati adveniunt, vocatur concio, oratio II. (I.) habetur, in qua Philippi malos mores et artes orator describit, ut timorem civibus eripiat; auxilium mittere jubet, arripere occasionem, rem strenue gerere, segnitiem exuere. Huc spectant, quae leguntur pag. 18. 10. sqq. §. 2.: *δεῖ τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦτ' ἤδη σκοπεῖν αὐτοὺς, ὅπως μὴ χείρους περὶ ἡμᾶς αὐτοὺς εἶναι δόξομεν τῶν ὑπαρχόντων, κ. τ. λ.* et pag. 21, 24. §. 12.: *πολλὴν δὴ τὴν μετάστασιν καὶ μεγάλην δεικτέον τὴν μεταβολὴν, εἰσφέροντας, ἐξιόντας, ἅπαντα ποιοῦντας ἑτοίμως.* Cf. p. 24, 20—25, 26. §. 23—26. Mittuntur iterum auxilia, nuntiatur Charidemi victoria, ferocit plebs, superbiunt oratores, Philippum ulciscendum esse conclamantes. Jam tertii adventant sociorum legati, quamque vana sit et frivola Charidemi jactatio ostendunt. Itaque Demosthenes in orat. III. (II.) jam amplius sese nequit continere, quin iram in cives effundat, quippe qui rerum novarum cupidi in eo jam sint, ut et veteres socios perdant, et patriae perniciem parent. Referta est opprobriis haec oratio et compellationibus, quales leguntur pag. 29. 5. sqq. §. 3.: *Ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἴπέρ ποτε, πολλῆς φροντίδος καὶ βουλῆς δεῖται. Ἐγὼ δὲ οὐχ ὅτι χρὴ περὶ τῶν παρόντων συμβουλεῦσαι χαλεπώτατον ἡγοῦμαι, ἀλλ' ἐκεῖνο ἀπορῶ, τίνα χρὴ τρόπον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πρὸς ὑμᾶς περὶ αὐτῶν εἰπεῖν· πέπεισμαι γὰρ ἐξ ὧν παρὼν καὶ ἀκούων σύνοιδα τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ὑμᾶς ἐκπεφευγέναι τῷ μὴ βούλεσθαι τὰ δέοντα ποιεῖν, οὐ τῷ μὴ συνιέναι.* Ibib. v. 16. §. 3.: *Ὁρᾶτε γὰρ, ὡς ἐκ τοῦ πρὸς χάριν δημηγορεῖν ἐνίους εἰς πᾶν προελήλυθε μοχθηρίας τὰ παρόντα.* Pag. 32, 23. sqq. §. 16.: *τίνα γὰρ χρόνον ἢ τίνα καιρὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε; ἢ πότε, ἃ δεῖ, πράξετε, εἰ μὴ νῦν; οὐχ ἅπαντα μὲν ἡμῶν προείληφε τὰ χωρία ἄνθρωπος; εἰ δὲ καὶ ταύτης κύριος τῆς χώρας γενήσεται, πάντων αἴσχιστα πεισόμεθα. Οὐχ*

οὓς εἰ πολεμηθεῖεν ἑτοίμως σώσειν ὑπισχνούμεθα, οὗτοι νῦν πολεμοῦνται; οὐκ ἐχθρός; οὐκ ἔχων τὰ ἡμέτερα; οὐ βάρβαρος; οὐχ ὅ τι ἂν εἴποι τις; Quae omnia cum in animo legentis admirationem excitent, quo tandem modo affectos esse putas eos, qui ipsum oratorem de suggestu tonantem audiverunt, ejusque moestum vultum, gestum, faciem viderunt? [28])

Huc illud quoque pertinet, a quo exorsi sumus, comparationem dico praesentis temporis cum aevo majorum. Varia nimirum est argumentorum ratio, quae oratori suppeditant. Potest ille enim suadere auditoribus, ut aliquid faciant, dum vel commoda obtemperaturis vel repugnaturis incommoda inde capiunda proponit, periculo eos propius instante officia sua exsequi jubere, desidiosos ad studium et laborem incitare, cavillari malevolos, blandiri ambitiosis, exorare contumaces. Haec pervagata omnia et vulgaria. Sed si quis universum populum in concione tali crimine compellat, ut ruborem uni cuique eliciat, haud valde erraverit, opinor, qui inde in magno civitatem discrimine versari colligat. Est enim omnia paene desperantis, honoris studium diu sopitum in hominibus eo excitare, ut honoris eos ac dignitatis expertes esse dicat, amissam gloriam, tamquam pristinae virtutis simulacrum, ex longinquo eis ostendat, ipsam ut recuperent etiam atque etiam hortetur eos et obsecret. Quamvis autem minime negem, hujus rei mentionem jam in II. orat. fieri potuisse, III. tamen nostri ordinis orationi eam propterea reservari velim, quoniam, si II. esset, in III. oratorem plane saevire suspiceris; verum mirum contra, quam placide ibi leniterque progrediatur oratio. Neque etiam vereor, ne quis inconstantiae me coarguat, quippe qui supra sub huj. cap. init. gradationem, qua viri quidam docti Dionysiacum ordinem tueri sunt conati, improbaverim, nunc jam non probem solum, verum ea quoque tanquam argumento

28) V. Becker Demosth. als Staatsm. u. Redn. I. p. 230. sq.

nitar. At animadvertendum est, ibi de argumentorum, hic de affectuum gradatione sermonem esse. Quae habuit in promtu Demosthenes, num quando iterum eadem de re dicendum sibi esset, vel quoties, omnino nesciens, uno tenore in I. or. cuncta pronuntiavit. Sed civium segnities atque inertia cum iterum ei, imo tertium quoque eadem de re loquendi daret occasionem, fieri non potuit quin sensim ira Demosthenes adeo excandesceret, ut in cives eam modestius primum in II. orat., effusissime in III. evomeret.

Cap. III.

Vulgatum orationum Olynthiacarum ordinem ipsarum singulis quoque locis commendari.

Cum incertus diu fuissem atque suspensus animi, quem in ordinem disputationis meae partes digererem, ea demum aptissima visa est argumentorum dispositio, qua primum de universo orationum habitu dissererem, tum argumenta e singulis locis depromta exponerem. Quamquam enim utrumque per se adeo indigens est, ut alterum alterius assensione atque approbatione egeat, ideoque nihil differre cui videatur, quo quidque in loco collocetur: transitus tamen, qui fit ab universali ad singulare, jam eo aptior ipsique rei convenientior est, quod qui orationem aliquam via et ratione legit, primum eo illam legit consilio, ut quid sibi velit orator perspiciat, qui universus orationis habitus sit, qui color, cognoscat, deinde relegit, ut singula quoque memoria comprehendat, quam callide sint inventa, quam pulchre disposita, quam artificiose connexa perscrutetur et intelligat. Verum quoquo ordine collocaveris omnia, perquam tamen difficile est, argumenta per istas partes ita digerere, ut et suo quidque loco memoretur, et crebra ejusdem rei repetitio evitetur. Quare si pluries in eandem rem inciderimus, satis habebimus, id relegando lectorem eo

indicare, quo accuratius illud disceptatur. Hanc partem autem ita pertractemus, ut orationem unam quamque peragrantes suo quidque loco argumentum tamquam testem excitemus atque examinemus.

Orat. I. (III.)

Pag. 9. 15. *sqq.* §. 2. Ἔστι δὴ τά γ' ἐμοὶ δοκοῦντα, ψηφίσασθαι μὲν ἤδη τὴν βοήθειαν καὶ παρασκευάσασθαι τὴν ταχίστην, κ. τ. λ. Vid. supra pag. 28.

Pag. 10. 2. *sqq.* §. 8. Ὡς ἔστι μάλιστα τοῦτο δέος, μὴ πανοῦργος ὢν καὶ δεινὸς ἄνθρωπος πράγμασι χρῆσθαι — τὰ δ' ἡμᾶς διαβάλλων καὶ τὴν ἀπουσίαν τὴν ἡμετέραν τρέψηται καὶ παρασπάσηταί τι τῶν ὅλων πραγμάτων. Coll. ibid. vers. 14. 15. §. 4. πρὸς δὲ τὰς καταλλαγάς, ἃς ἂν ἐκεῖνος ποιήσαιτο ἄσμενος πρὸς Ὀλυνθίους, ἐναντίως ἔχει.

Prius dicendum de loco altero. Propensus ibi Philippus ad societatem cum Olynthiis incundam dicitur. Hoc jam H. Wolfio visum est παρ' ἱστορίαν εἶναι, cujus in sententiam discessere Mounteney (ed. 1748. p. 349.), Weiskius (d. hyperb. p. III. p. 32.), Rauchenstein. (p. 14. 15.), Voemel (in annott. p. 38.). Fortasse recte. Sed quod addit Wolfius, „confictum illud esse ad terrendos Athenienses; si ipsi repudient Olynthios, praesto eis fore Philippum, intercipiendae societatis cupidum." magnopere vereor, ne prorsus ab hoc loco sit alienum. Monui ea de re jam supra cap. II. p. 30. Ut paucis repetam, referenda haec videntur ad oratoris cujusdam, fortasse Demadis, argumentationem, quippe qui ne auxilium Olynthiis mitterent dissuaserat, quia non modo bellum tum instaret nimis periculosum, sed etiam in eo jam Philippus esset, ut in gratiam cum Olynthiis rediret. Hinc patet, cur dicat orator πρὸς δὲ τὰς καταλλαγὰς ἐναντίως ἔχει, quod tam distinctis verbis expressum est, ut, nisi ejusdem rei jam antea facta esset mentio, ne Graece quidem Demosthenem dixisse opinere. Acce-

dit quod multus est orator in demonstrando, Olynthios societatem cum Philippo ineundam magis etiam quam bellum atque servitutem metuere. At si id ipsum, propensum esse ad pacem faciendam Philippum, ad terrendos Athenienses confinxisset, profecto facere non potuisset, ut contrarium potius, Olynthios quoque pacem petere, civibus non persuaderet. Itaque si verum est, quod Wolfius suspicatur, *παρ' ἱστορίαν* illud esse, non ad terrendos Athenienses a Demosthene, sed ad placandos potius et a societate cum Olynthiis ineunda avocandos ab oratoribus quibusdam confictum est, qui turpi largitione corrupti Macedonem augeri, quam Graeciam liberari maluerint. *Τοιαύτη*, ut ait Diodorus Sic. lib. XVI. cap. 54. *φορά τις προδοτῶν ὑπῆρξε τότε κατὰ τὴν Ἑλλάδα.* Quae cum ita sint, vix dubium est, quin primo loco haec sit oratio ponenda. Societatem enim oratores aut ne coeant cives dissuadere, aut ne praetermittant suadere eo tantummodo tempore credibile est, quo id ipsum, sitne Olynthiis succurrendum, necne, adhuc in quaestione versatur. Posthac inita demum societate non idem amplius in deliberationem cadit, sed cives ut officio suo satisfaciant ac strenue decretis pareant tunc instigantur atque incitantur. Praeterea totius argumenti, quod Demosthenis adversarios commentos esse puto, ratio ejusque refutatio ita comparata est, ut nec in II. nec in III. oratt. quadrare videatur. Scilicet orator aliquis ante locutus erat fere in hunc modum: Non opus est, Athenienses, Olynthiis auxilia mittere: brevi enim Philippus pacem cum eis faciet. Respondet Demosthenes: At pacem, tamenetsi petat Philippus, tamen ab Olynthiis non impetrabit; suspectus enim adeo eis est, ut cum eo in gratiam redire nolint. — Jam plana erunt omnia, si reputes, quando Philippum pacem voluisse, Olynthios repudiasse credibile sit. Pacem vult, cujus optatis fortuna non respondet, aut cui non ea, quae exspectabat, ex bello commoda redundant, aut qui certamen cum hoste potiori ineundum timet. Pacem contra repudiat, cui

bene omnia procedunt, aut qui damnum, si quod fecit, facili negotio resarciri posse putat, aut qui incertum belli exitum suspecto praefert foederi. Patet igitur, sub finem belli nec Philippum in pacem, neque Olynthios in bellum propensos fuisse. Etenim tam prospere dimicasse dicitur Philippus, ut primo belli anno XXII urbes Chalcidicas dirueret, altero Olynthios, et ut videtur Athenienses quoque duobus proeliis vinceret, Olynthum denique urbem obsideret, expugnaret, everteret. Jam quis, quaeso, adduci potest, ut regem eo tempore, quo habita est oratio III., ideoque ipse in eo jam erat, ut Olynthum aggrederetur, de societate cum Olynthiis cogitasse arbitretur? Frustrane in bello consumta opera, contritum tempus, discussus tantus belli apparatus? Quid? Incassum tela jactata, caesi homines, dirutae urbes? Nequaquam, puto. Philippus enim, vir subdolus ac tenax propositi, qui eo jam progressus erat audaciae, ut Olynthiis ediceret, aut urbe illis excedendum, aut sibi Macedonia, imo qui universae Graeciae insidias moliebatur, cur incepto tam subito destiterit, atque Olynthiis prope ad internecionem jam redactis parcendum nunc censuerit, ne conjectura quidem assequi possum. Imo spe potiundae Graeciae elatus Olynthios subigere enixissime studuit, ne superessent postea, qui ad majora tendentem a tergo adorirentur. Olynthios vero in summum (si haec III. esset oratio) discrimen adductos — o delirationem incredibilem — pacem peropportune a victore oblatam repudiasse num credibile est? Avidissime potius hanc eos exitium repellendi occasionem adrepturos fuisse nonne credibilius?

At, inquiet aliquis, nec Philippus revera pacem petiit, nec petitam Olynthii repudiarunt; confictum illud a Demosthene, vel, si mavis, ab alio quopiam oratore. „Nam oratorie magis illud, quam vere dicitur, quasi Philippus rebus jam bene gestis timeat continuatam cum Atheniensibus Olynthiisque junctis contentionem.“ Weisk. l. l. Jam ut concedam nunc, omnino illud, ut dicit Wol-

fius, *παρ' ἱστορίαν εἶναι*, praefracte tamen nego, mentionem ejus alio tempore fieri potuisse, quam quo foedus etiam cum Olynthiis Philippo fieri posse credibile erat.[29]) Si quis enim persuadere alicui conatur, quod per se quidem fieri potest, sed eo tempore, quo loquitur, fieri non potest, is profecto non oratorie dicit, sed de industria fallit et aperte mentitur. Nec vero etiam (si III. haec oratio esset) fidem oratori ut incredibile quid jactanti auditores habuissent, sed ipsi diuturno bello defessi et afflicti pacem Olynthiis ut adriperent oblatam a Macedone suasissent.

Jam vero apparet, Philippum tantummodo initio belli ad foedus cum Olynthiis jungendum paratum esse, ejusque rei nonnisi in I. orat. mentionem fieri potuisse. Fortassis etiam falluntur ii, quibus praeeunte Wolfio praeter veritatem tota res conficta videtur. Quod ut suspicer duabus rationibus adducor: primum quod in nostro loco Demosthenes id ipsum, num propensus sit ad societatem cum Olynthiis ineundam rex, neutiquam addubitat, satisque habet monere, Olynthios oblatam societatem repudiaturos esse. Tum quod in loco, quem supra attuli, priori dicit: *ὡς ἔστι μάλιστα τοῦτο δέος, μὴ πανοῦργος ὢν καὶ δεινὸς ἄνθρωπος πράγμασι χρῆσθαι — τὰ δ' ἡμᾶς διαβάλλων καὶ τὴν ἀπουσίαν τὴν ἡμετέραν τρέψηται καὶ παρασπάσηταί τι τῶν ὅλων πραγμάτων.*[30]) Metuendum, inquit, est, ne nos Philippus, nisi auxilium Olynthiis tulerimus, apud eosdem criminetur et obtrectet. — Quod quo consilio fecerit non est

29) Idem scripsi in annot. ap. Ruediger. p. 74. Quem ad locum quae vir doctissimus adscripsit: „sed quid, si orator haec omnia tertio posuit loco, quo magis cives instigaret?" haud scio an satis reprobaverim iis, quae disputavi supra pag. 25.

30) Eo refutatur quoque, quod contradicit Mounteney: „Quomodo Philippus Atheniensium absentiam criminari poterat, nisi Olynthiis auxilio adesse ex foedere jam inito tenerentur?" Etenim tantum periculum esse dicitur, ne usu illud veniat, nisi confestim opem cives ferant.

obscurum. Sperabat enim fore ut, si suspicionem in Athenienses contulisset, Olynthii ab omnibus se destitutos rati animum desponderent, omnia desperarent, in suam fidem atque potestatem ultro se permitterent. Videtur igitur Olynthios ad deditionem pellicere voluisse, quamquam non in gratiam cum eis rediturus, sed facilius ita, nec opera, nec tempore contrito, in servitutem eos redacturus. Neque id quibus modis assequeretur, dum ne fine excideret, quidquam pensi habuit. V. Jacobs. l. l. p. 295.

Pag. 10, 27. *sq.* §. 6. *Οὐδὲ γὰρ λόγος οὐδὲ σκῆψις ἔθ' ὑμῖν τοῦ μὴ τὰ δέοντα ποιεῖν ὑπολείπεται.* Vid. supra p. 29. 30.

Pag. 10, 28—*p.* 11, 2. §. 7. *Νυνὶ γὰρ, ὃ πάντες ἐθρυλεῖτε, ὡς Ὀλυνθίους ἐκπολεμῶσαι δεῖ Φιλίππῳ, γέγονεν αὐτόματον, καὶ ταῦθ' ὡς ἂν ὑμῖν μάλιστα συμφέροι.* V. infr. ad Orat. III. p. 30. §. 7.

Pag. 12, 3. *sqq.* §. 10. *Τὸ μὲν γὰρ πολλὰ ἀπολωλεκέναι κατὰ τὸν πόλεμον τῆς ἡμετέρας ἀμελείας ἄν τις θείη δικαίως, τὸ δὲ μήτε πάλαι τοῦτο πεπονθέναι, πεφηνέναι τέ τινα ὑμῖν συμμαχίαν τούτων ἀντίῤῥοπον, ἂν βουλώμεθα χρῆσθαι, τῆς παρ' ἐκείνων εὐνοίας εὐεργέτημ' ἂν ἔγωγε θείην.*

Primum hujus loci scripturam in dubium vocavit Hoogeveenius in annot. ad Viger. p. 296., delendum censens multis cum libris artic. *τὸν* (*πόλεμον*), quod bellum nondum susceptum esset: *κατὰ πόλεμον* autem bellum in genere, sive varia bella, in quibus Athenienses multa amisisse orator ostenderet, significare. Quod Pinzgerus ap. Rauchenst. p. 55. refutare studuit hoc modo: „*τὸν πόλεμον* referri debere ad bellum Olynthiacum jam appositio (*τοῦ*) *πάλαι* ostendit. Igitur non est, cur cum Hoogeveenio de ejiciendo articulo cogitemus. — Meminisse debebat, rectius hanc orat. tertio loco poni, et inceptum jam bellum cogitari debere.“ Sed, nisi fallor, scribendum tum esset *κατὰ τοῦτον τὸν πόλεμον*.

Nam κατὰ τὸν πόλεμον si ad bellum Olynthiacum referretur, non satis accurate dictum esset, quippe cum in antecedentibus sermo sit de bello cum Philippo prius gesto. Huc autem spectare verba κατὰ τὸν πόλεμον rectissime docent ll. ll. Ruediger. p. 156. atque Beckerus p. 189. Πάλαι quoque non habet quo offendat, quoniam haud ita diu erat, cum de Amphipoli recuperanda Athenienses cum Philippo dimicaverant. Pertinet igitur ad tempus bellum Amphipolitanum praecedens, quo Athenienses, quamquam valde jam a virtute paterna degeneraverant, prospere tamen res suas gesserant, id quod orator Deorum erga eos benevolentiae testimonium habendum esse dicit. Itaque κατὰ πόλεμον quamvis dici posse constet (Athen. XIII. p. 557.), huic tamen loco minus convenit, quia ne simile quidem veri est, Athenienses, quotiescunque bellum gessissent, cujusquam rei jacturam fecisse. Cf. Becker. l. l. p. 190.

Alteram, cur Deis gratia referenda sit, rationem orator subjungit hanc: πεφηνέναι τινα ἡμῖν συμμαχίαν τούτων ἀντίῤῥοπον, ἂν βουλώμεθα χρῆσθαι.[31]) Non magnopere in hisce verba ἀντίῤῥοπον συμμαχίαν urgeam, quamvis dicat aliquis, societatem istam ἀντίῤῥοπον, vel, ut explicat Hesychius, ἰσόσταθμον, eo tantum tempore haberi potuisse, quo vires Olynthiorum adhuc integrae fuissent, i. e. initio belli. Sed oratori fortassis illud ignoscendum. At hoc certe adversarios quoque nobis dare puto, societatis mentionem ibi ita factam esse, ut, si III. haec esset oratio, lenitatem, patientiam, clementiam oratoris miraremur, qui, cum vituperare, castigare, instigare cives deberet, satis haberet dicere, societatis ineundae nunc obvenisse occasionem, quam si amplecti vellent, amissa possent recuperare. Quod si quis comparaverit cum iis, quae sub init. orat. III. (II.) leguntur p. 28. 5. sq. §. 1. τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προ-

31) Hallucinatur Scholiastes, qui τῶν θεῶν ad voc. συμμαχίαν subaudiri vult. Olynthios intelligendos esse nemo non videt.

ἥκοντα (ὁρῶ), ὥστε ὅπως μὴ πεισόμεθα αὐτοὶ πρότερον κακῶς σκέψασθαι δέον, de Dionysiaca collocatione jure addubitaverit.

Pag. 13, 12. *sqq.* §. 14. *Εἰ δ' ὁ μὲν ὡς ἀεί τι μεῖζον τῶν ὑπαρχόντων δεῖ πράττειν, ἐγνωκὼς ἔσται, ὑμεῖς δὲ ὡς οὐδενὸς ἀντιληπτέον ἐῤῥωμένως τῶν πραγμάτων, σκοπεῖσθε εἰς τί ποτ' ἐλπὶς ταῦτα τελευτῆσαι.*

Hinc Rauchensteinius p. 31. 32. et XXVIII. colligit Demosthenem concedere, eos rem quidem aggressos esse missis contra Philippum auxiliis, sed talibus, unde sperari nihil omnino potuerit. Sed ingenue confiteor, me hujus argumenti rationem dispicere non posse. Quod enim addit, ἐῤῥωμένως hoc loco idem esse atque pag. 9, 5. αὐτοὺς ἀντιλαμβάνεσθαι, primum quomodo probet non video. Tum similis locus est in or. II. (nobis III.) p. 30, 22. sq. §. 8.: τί οὖν ὑπόλοιπον — πλὴν βοηθεῖν ἐῤῥωμένως καὶ προθύμως; Eodem jure ἐῤῥωμένως hic quoque pro αὐτοὺς dictum possit accipi, quamvis id ipsum secus videatur Rauchensteinio, quippe cujus multum interest, in ea tantum oratione, quae sibi III. est, civilem ab Olynthiis exercitum postulari. Unde patet, quam futilis ac lubrica sit ista argumentatio. Vid. supra quoque pag. 19. sq.

Pag. 14, 5. *sqq.* §. 17. *Φημὶ δὴ διχῇ βοηθητέον εἶναι τοῖς πράγμασιν ὑμῖν, τῷ τε τὰς πόλεις τοῖς Ὀλυνθίοις σώζειν καὶ τοὺς τοῦτο ποιήσοντας στρατιώτας ἐκπέμπειν, καὶ τῷ τὴν ἐκείνου χώραν κακῶς ποιεῖν καὶ τριήρεσι καὶ στρατιώταις ἑτέροις· εἰ δὲ θατέρου τούτων ὀλιγωρήσετε, ὀκνῶ μὴ μάταιος ὑμῖν ἡ στρατεία γένηται.* Cf. Becker. l. l. p. 123. sq.

Quod de hoc loco scripsi apud Ruedigerum p. 74. etiam nunc probo. Sermo est ibi de ultione a Philippo exigenda, quod jam H. Wolfius vidit, quamvis contra moneat Ruedigerus, non de ultione, sed de impetu in Philippi fines agi. Etenim in I. orat. ad opem Olynthiis ferendam Athenienses eo maxime incitantur, quod nunc tandem, quod jam dudum exoptaverant, accidit, ut, qui

ipsis infestus esset atque inimicus, bellum Olynthiis inferret. Quam occasionem amissa recuperandi non temere praetermittendam dicit orator, sed avide arripiendam; duos exercitus mittendos, unum auxilio Olynthiis, alterum qui Macedoniam invadat, urat, devastet. Quis non videt, de ultione a Philippo petenda hic sermonem esse? Quis negat, facilius ita ad foedus ineundum Athenienses impelli potuisse, quam si orator de unoquoque commodo inde capiundo copiose atque subtiliter exposuisset? Namque non tam servari Olynthios, quam perdi ac pessumdari Philippum referebat. Jam vero patet, ultionem petere non posse nisi eum, qui virium et opum pollens atque validus sit, insanire autem eum, qui hominem adflictum et jacentem injurias sibi illatas ulcisci juberet. Atqui jubet orator. Athenienses autem eo tempore inprimis, quo III. habita est oratio, perquam invalidi et imbecilles erant. Ergo — nisi insanivit homo sagacissimus — I. est oratio, in qua ulcisci Philippum jubet duobus exercitibus mittendis, III. qua idem apertissime planissimeque vetat (p. 28. 8. §. 1.).

At quaerit Ruedigerus, unde Atheniensium vires exhaustas tunc fuisse sciamus. En rationes. Quae nova post expulsos tyrannos lux Athenis affulsisse visa est, brevi tamen, ex quo sui potestatem Graeci Persis fecerant, obscurata paene jam occiderat, cum Philippus Macedonia potiretur. Singulorum, ut Chabriae, Iphicratis, Timothei virtus multorum improbitati succubuit. Bellum sociale (Olymp. CV. 2—4.) a Charete redituum augendorum causa commotum magnas impensas frustra consumsit. Nondum absolutum illud excepit bellum Euboicum, idque post triginta dies debellato Amphipolitanum (Olymp. CV. 3 — CVIII. 1.), quo nomine ea continentur, quae a Philippo cum Atheniensibus usque ad expugnationem Olynthi gesta sunt. V. Voemel progr. d. bello Amphipolitano scriptum (1826) et Ruediger. comment. hist. p. 205. 213. Phocensibus interea ad sacrilegii, quod perpetraverant, ultores propulsandos magnum

auxilio exercitum miserunt; postremo Thermopylas, Philippi praevertentes impetum, praeoccupaverunt, quam solam expeditionem pluris eis quam CC talent. stetisse dicit Dem. d. fals. leg. p. 367, 22. §. 84. Sed sumtuum in haec impensorum omnium rationem singulatim inire longum est; quare sufficit, ut provocemus ad Aeschinem, qui de fals. legat. p. 249. Athenienses hoc tempore *χίλια καὶ πεντακόσια τάλαντα οὐκ εἰς στρατιώτας, ἀλλ' εἰς ἡγεμόνων ἀλαζονείας ἀνηλωκέναι* monet, ex quo publicis impensis modum non esse factum intelligitur. Non mirum igitur, numaria difficultate rempublicam tum affectam esse, cum res Olynthiorum jam in summo discrimine versabantur, praesertim cum voluptatibus Athenienses adeo jam dediti essent, ut pecunias bellico usui destinatas in theatralem rem insumerent, imo lege data poenam capitis non dubitarent irrogare ei, qui hanc rem in pristinum restitui voluisset. Jam cum Demosthenes capitale istud periculum ultro subiret, vix dubium est, quin ad extremum inopiae respublica pervenerit.

Quae cum ita sint, tertio loco poni nequit oratio ea, in qua duplici exercitu mittendo poenas injuriarum acceptarum a Philippo petere jubentur Athenienses. Nam si quid memoratu dignum efficere volebant, ut minimum ponam, peditum IV millia, equites CL (quot Olynthiis iterum petentibus revera missa quoque perhibentur) cum navibus XX Olynthum, totidemque in Macedoniam mittere debebant. Sumtuum autem in haec impendendorum rationem ducere si operae pretium est, constiterit ista Atheniensibus expeditio, sex mensium spatio absoluta, talentis CLXIX, nostrae pecuniae fere 232,375 thaleror. [32]) Tantam vero pecuniam e stipis collatione civium capi adhuc potuisse non est credibile. At, in-

32) Rationem pecuniarum secundum ea posui, quae habet Dem. Phil. I. p. 46. 26 – 47. 6., ubi XX minas in unamquamque navem, in peditem X drachmas, in equitem XXX quoque mense impendendas esse dicit.

quies, ob eam ipsam causam pecunias theatrales in bellum rursus insumere orator jubet. Verum enimvero in oratione ea, quae Dionysio III. est, tam breviter ac timide quasi ejus rei mentionem facit, ut inde in summum res discrimen atque periculum adductas esse nequaquam suspiceris. Sed copiosius ea de re dicendum infra pag. 64. sqq. Nihilominus Rauchenstein. p. XXXI. non nimium postulaturum fuisse oratorem dicit; patriae enim salute nihil majus esse. At, quaeso, num patriae saluti prospicit is, qui talia postulat, quae quod restat civitati roboris infirmant, ejusque nervos plane exsecant? Subtilius Scholiasta: *ἐπειδὴ δὲ οἶδε τοὺς Ἀθηναίους πολλῇ δεδουλωμένους ῥαθυμίᾳ, προτείνει αὐτοῖς δύο βοηθείας, ἵνα κἂν τὴν μίαν ποιήσωσιν.*

Nec vero etiam praetermittendum, quod eodem loco legitur: succurrendum esse rebus *τῷ τὰς πόλεις τοῖς Ὀλυνθίοις σώζειν.* Chalcidicas urbes innui rectissime viderunt Ruedigerus p. 161. atque Beckerus l. l. Itaque periculum magis tum instabat istis urbibus, quam ipsi Olyntho. Scimus autem, Philippum, priusquam adoriretur Olynthum, Chalcidicas urbes evertisse. Consentaneum etiam est, Olynthios statim invadente rege Atheniensium auxilium implorasse. Tantum aberat igitur, ut Olynthus obsidione jam cingeretur — id quod Rauchenstein. p. 33. e verbis Dem. p. 14. 11. sqq. §. 18. *εἴτε γὰρ ὑμῶν τὴν ἐκείνου κακῶς ποιούντων ὑπομείνας τοῦτο Ὄλυνθον παραστήσεται, ῥαδίως ἐπὶ τὴν οἰκείαν ἐλθὼν ἀμυνεῖται, εἴτε βοηθησάντων μόνον ὑμῶν εἰς Ὄλυνθον ἀκινδύνως ὁρῶν ἔχοντα τὸ οἴκοι προσκαθεδεῖται καὶ προσεδρεύσει, περιέσται τῷ χρόνῳ τῶν πολιορκουμένων*, perperam collegit, sed nuper p. XV. retrectavit — ut ipse Philippus incertum belli eventum animo praesagiret. Confirmatur illud loco, qui legitur pag. 15. 10. sqq. §. 21. *οὔτ' ἂν ἐξήνεγκε τὸν πόλεμόν ποτε τοῦτον ἐκεῖνος, εἰ πολεμεῖν ᾠήθη δεήσειν αὐτὸν, ἀλλ' ὡς ἐπιὼν ἅπαντά ποτε ἤλπιζε τὰ πράγματα ἀναιρήσεσθαι, κᾆτα διέψευσται. Τοῦτο δὴ πρῶτον αὐτὸν ταράττει παρὰ γνώμην γεγονὸς καὶ πολλὴν ἀθυ-*

μίαν αὐτῷ παρέχει. Quae quamvis ad Olynthios a Ruedigero (prolegg. p. 73.) et Rauchensteinio (p. 33. et XXIX.) referri non sit mirum, rectius tamen referri ad urbes Chalcidicas ostendit Beckerus (l. l. p. 128.). Nam quod dicit Ruedigerus, tantum Olynthum hoc loco spectari, id ne data opera quidem investigare potui. Sermo procul dubio est de primo belli anno, quem totum in expugnandis urbibus Chalcidicis Philippus consumsisse dicitur. Subtilior est, non verior, Rauchensteinii argumentatio, quippe qui III. hanc esse orat. ratus omnino haec talia commenta dicit, quibus erigere studeamus eos, qui periculo oppressi de felici eventu jamjam desperent. Sed id ipsum, nisi fallor, vir doctus commentus est; nihil enim rationis attulit. Non verius est, quod addit: „Deinde vero haud obscure auxilium ab Atheniensibus jam latum significatur verbis *τοῦτο ταράττει αὐτόν.* Nam *τοῦτο* non solum ad ea refero, quae Olynthii, sed etiam ad ea, quae Athenienses hoc bello contra eum moliti erant." Plura h. l. Demosthenes enumerat, quae perturbatum esse et adflictum regem ostendant. Ac primum, quod praeter exspectationem non omnia statim in ejus ditionem concesserint. Deinde Thessalos jam seditionem concitare: tum Paeones atque Illyrios in libertatem sese vindicaturos. His ut Athenienses quoque se adjungant, acriter denique instat verbis *δεῖ τοίνυν ὑμᾶς κ. τ. λ.* p. 16. 4. sqq. §. 24. Hinc patet, *τοῦτο* non bene ad Athenienses referri. Egregie vero locus iste orationi I. convenit, in qua de Philippi rebus gestis ab Olynthiorum legatis orator certior factus Athenienses auxilium extemplo ferre jubet, quoniam nunc, cum praeter exspectationem eum Chalcidicarum urbium occupatio moretur, sperandum adhuc sit, fore ut periculum universae Graeciae imminens impune propulsari possit. Huc quoque pertinet, quod legitur p. 16. 13. sqq. §. 25. *Ἔτι τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μηδὲ τοῦθ' ὑμᾶς λανθανέτω, ὅτι νῦν αἵρεσίς ἐστιν ὑμῖν, πότερ' ὑμᾶς ἐκεῖ χρὴ πολεμεῖν, ἢ παρ' ὑμῖν ἐκεῖνον.* Cf. Rauchenst. p. XXVIII. XXXI.

Pag. 14, 23. *sqq.* §. 19. *Τί οὖν, ἄν τις εἴποι, σὺ γράφεις ταῦτ' εἶναι στρατιωτικά;* Vid. infra Or. III. p. 64. sqq.
Pag. 15, 15. *sqq.* §. 21. 22. *Εἶτα τὰ τῶν Θετταλῶν κ. τ. λ.* Vid. infra Or. II. p. 57. sqq.

Orat. II. (I.)

Pag. 18, 4. §. 1. *Τὸ γὰρ τοὺς πολεμήσοντας Φιλίππῳ γεγενῆσθαι κ. τ. λ.* Hoc loco omnem de orationum Olynthiacarum collocatione dubitationem tolli conclamant adversarii. Sic Rauchenstein. p. 25. sq. et XXII. XXIII. Ruediger p. 73. et 87. Quod etsi magnam veri speciem habet, in suspicionem tamen jam ob eam causam venit, quod Wolfius ex uno codice *πολεμήσαντας* exhibuit. Rauchensteinius vero multis ostendere conatur, molestam Wolfio lectionem *πολεμήσοντας* fuisse, quod ordinem oratt. vulgatum sit secutus. Sed quid, si alteram lectionem *πολεμήσαντας* adversarii quoque ideo repudiant, quia, quem verum putant, Dionysiaco illa ordini repugnet atque adversetur? Verum cum aequo Marte sit pugnandum, removeamus ea, quae, quod incerta sunt, ad liquidum rem perduci non patiuntur. Jam ut concedam, quod mirabuntur adversarii, veram esse plurimorum codd. scripturam *πολεμήσοντας*, haud scio tamen an ne tum quidem — si conjectura licet verum consequi — de suo haec oratio loco dimoveri possit. Olynthios non illato demum sibi, sed adhuc imminente bello Atheniensium auxilium implorasse, ut supra jam ostendimus, consentaneum est. Assentit Rauchenst., qui p. 53. in annot. 9. verba *Ὀλυνθίοις πολεμουμένοις ὑπὸ Φιλίππου,* quibus narrationem suam exorditur Philochorus, non urgenda esse recte dicit. Athenienses igitur auxilio missi Philippum in urbium Chalcidicarum eversione deprehenderunt. Qui utrum proelium conseruerint, an re infecta redierint, ambiguum est; quamquam eo sum propensior, ut eos officio suo prorsus defuisse

arbitrer. Nec vero etiam Olynthii quidquam adversus Philippum gessisse, aut eum ab urbium finitimarum excisione prohibuisse videntur, satis quippe habentes, quo sit erupturum bellum exspectare, Philippus quid moliatur observare, ipsum aditu atque progressu, si usus fuerit, arcere. Haec a legatis ad senatum, ab oratoribus ante Demosthenem dicentibus ad populum delata esse credibile est. Praeterea captis magnam partem et eversis interim urbibus Chalcidicis, ac propius jam instante periculo, nunc demum ipsi quoque *πολεμήσοντες Φιλίππῳ* nova sociis auxilia imperant. Quod autem *πολεμοῦντες* jam in Orat. I. p. 10, 17. §. 5. dicuntur, quem locum adversus nos Rauchenst. p. XXIII. protulit, non mirum, quia tum quae belli foret ratio Demosthenes scire nondum potuit. At quem idem ibi addidit locum (pag. 10, 29. §. 7.), melius omisisset; nam *ἐκπολεμῶσαι* non est „bellum gerere“ sed „abalienare aliquem ab aliquo, hostem facere.“

Pag. 18, 13. *sqq.* §. 2. *Ὡς ἔστι τῶν αἰσχρῶν, μᾶλλον δὲ τῶν αἰσχίστων, μὴ μόνον πόλεων καὶ τόπων, ὧν ἦμέν ποτε κύριοι, φαίνεσθαι προϊεμένους, ἀλλὰ καὶ τῶν ὑπὸ τῆς τύχης παρασκευασθέντων συμμάχων τε καὶ καιρῶν.*

Hinc initam esse Olynthiis atque junctam cum Atheniensibus societatem, quidquid contra moneant adversarii, liquido confirmare ausim. Jam pridem illud viderat Lucchesinius, castigatus eo nomine a Rauchensteinio p. XI., cujus ego tamen ratiocinationem non assequor. Verbis enim *ὑπὸ τῆς τυχῆς παρασκευασθέντων συμμάχων* dicit significari non homines in societatem jam receptos, sed paratos tantum et oblatos a fortuna. Verum quid refert, utrum a fortuna oblati, an se ipsos in societatem recipiendos obtulisse dicantur? Nec vero etiam *οἱ ὑπὸ τῆς τυχῆς παρασκευασθέντες σύμμαχοι* socii sunt, qui a fortuna offeruntur, sed, nisi fallor, socii ita juncti alicui, ut inde ei commoda redundent. Quare cum in orat. I. (III.) auxilium decernant atque confestim mittant ora-

tor suadeat, in orat. II. (I.) injustum atque inhonestum esse dicat, non solum omissa non recuperare, verum socios quoque peropportune sibi junctos deserere, non possum quin collocationem Dionysiacam, in qua inverso ordine haec se excipiunt, suspectam atque falsam habeam. Cf. Becker. l. l. p. 97. Huc accedit, quod *πολεμοῦντες* vocantur Athenienses p. 24, 28. §. 23.

Pag. 21, 11. *sqq.* §. 11. *Πρὸς δὲ Θετταλοὺς πρεσβείαν πέμπειν, ἣ τοὺς μὲν διδάξει ταῦτα, τοὺς δὲ παροξυνεῖ· καὶ γὰρ νῦν εἰσὶν ἐψηφισμένοι, Παγασὰς ἀπαιτεῖν καὶ περὶ Μαγνησίας λόγους ποιεῖσθαι.* Coll. Orat. I. p. 15, 18. sqq. §. 22. *Καὶ γὰρ Παγασὰς ἀπαιτεῖν αὐτόν εἰσιν ἐψηφισμένοι καὶ Μαγνησίαν κεκωλύκασι τειχίζειν.*

Quae ea de re scripsi apud Ruediger. prolegg. p. 74. 75. non omni ex parte nunc probanda censeo; quare de eis nunc paullo accuratius exponendum.

Thessali propter imperii conditionem, quippe numquam unius dicto audientes, sed continuis tyrannorum simultatibus in varias partes ut discederent perpulsi, jam pridem sui juris esse desierant. Ad hoc promtus eorum animus et alacer ad bella suscipienda, in rebus gerendis autem tam varius atque subdolus, ut vel in proverbium eorum perfidia abiret, [33]) permultas seditiones turbasque populares excitavit. Quare parato bello a potentiori stare, ejusque in fidem ultro se committere, quam junctis viribus periculum propulsare multo maluerunt, sed rursum occasionem in libertatem sese vindicandi, si qua obvenisset, avidissime arripuerunt. Idem eis tum quoque usu venit, cum bellum Olynthiacum exardescebat.

Philippus ab Aleuadis in Thessaliam arcessitus, Phayllo Phocensi et Onomarcho fratre, qui tyranno Lycophroni auxilio venerant, devictis, Pagasas, Charetem

---

33) V. Voemel prolegg. p. 89. Gillies hist. of ancient Greece T. IV. p. 334. ed. Basil.

antevertens, occupavit, Magnesiam a Thessalis deficientem subegit atque munire instituit, totam Thessaliam in ditionem suam redegit (Olymp. CVI. 4.). At homines, quibus ingrata longa quies, jugum aegerrime ferre; sed praesentiam Philippi ac potentiam metuentes opportunius ad rebellandum tempus opperiri. Interea Philippus Thermopylas adoriri, hinc in Thraciam profectus creare reges et expellere (Olymp. CVII. 1.), Heraeum oppugnare, aegrotus denique, postremo etiam mortuus Athenas nuntiari. Jam Thessali non amplius videntur sese continuisse, quin turpe jugum exuerent. Itaque Pagasas repetere decreverunt atque Magnesiam a munitione prohibuerunt. Peropportune quoque eis cecidit, quod eo ipso tempore Philippus bellum intulit Olynthiis, quippe quos et opibus et armis plurimum pollentes vel cum Macedone prosperrime dimicaturos esse putabant, praesertim cum haud ita diu esset, cum Athenienses cum Olynthiis in gratiam redierant. [34]) Hos autem, nisi ultro, rogatos certe auxilia missuros. Qua spe elati vectigalia quoque et portoria Philippo, quae hactenus exegerat, subducere conabantur. Has Thessalorum machinationes Demosthenes in ea, quae nobis I. est, oratione commemorat. Et vero sermonis ibi habitus et quasi color talis est, quem in I. orat. requiras atque probes, a III. prorsus alienum esse judices. In eo nimirum est orator, ut ostendat, non ex sententia omnia Philippo cedere; multos enim esse, qui ei adversentur, in his Thessalos quoque. Sed tantum abest ut, quod novi Phi-

---

34) Dubito an huc non recte Voemel prolegg. p. 82. Demosthenis verba referat, quae leguntur in Or. III. (I.) p. 32, 29. §. 16. *οὐχ οὓς, εἰ πολεμηθεῖεν, ἑτοίμως σώσειν ὑπισχνούμεθα, οὗτοι νῦν πολεμοῦνται;* Tum enim missa primum Olyntho legatione consilii capiundi deliberatione nihil opus. Simpliciter etiam Dem. Or. III. (II.) p. 30, 16. §. 7. *ἐπράξαμεν ἡμεῖς κἀκεῖνοι πρὸς ἡμᾶς εἰρήνην.* Quare foedus ea conditione, ut, si usus venisset, Olynthiis Athenienses auxilium ferrent, rectius fortassis eo tempore factum dixeris, quo habita orat. I. Demosthenes ut illis succurrerent cives adduxerat.

lippo hostes exstiterint, laetetur, aut societatem cum iis coeundam esse censeat, ut acerba in eos crimina conjiciat atque conferat. *Ταῦτα*, inquit, (*τὰ τῶν Θετταλῶν*) *ἄπιστα μὲν ἦν δήπου φύσει καὶ ἀεὶ πᾶσιν ἀνθρώποις, κομιδῇ δ', ὥσπερ ἦν, καὶ ἔστι νῦν τούτῳ.* Quae quamquam vera, ei tamen, qui cum illis foedus fieri voluerit, silentio fuisse transeunda sponte apparet. Id ipsum autem, Thessalorum habendam esse rationem, obscure nimis et quasi in transcursu attingitur p. 16. 6. §. 24.: *πρεσβευομένους ἐφ' ἃ δεῖ.* [35]) Nec vero etiam obscurum est, cur foedus ut cum Thessalis jungatur minus orator instet. Quippe eorum enim perfidiam, quamquam contemnit et castigat, non magnopere tamen extimescit, sed parato vixdum bello novos undique socios anxie adsciscendi necessitas Atheniensibus nondum obvenit. Ex quo intelligitur, hanc orationem III. ésse non posse. Quae si cum eis comparaveris, quae leguntur in orat. II. (I.) — *πρὸς δὲ Θετταλοὺς πρεσβείαν πέμπειν, ἣ τοὺς μὲν διδάξει ταῦτα, τοὺς δὲ παροξυνεῖ· καὶ γὰρ νῦν εἰσὶν ἐψηφισμένοι Παγασὰς ἀπαιτεῖν, καὶ περὶ Μαγνησίας λόγους ποιεῖσθαι,* sententia priori oratorem prorsus destitisse dixeris. Quae consilii mutatio, si quid video, a rerum tunc gestarum mutata conditione pendet.

Moliuntur defectionem Thessali, Pagasas repetere decernunt, Magnesiam munire prohibent, vectigalia ac portoria Philippo adimunt. Non magni eorum societatem aestimantes Athenienses auxilio primum veniunt

35) Primus de his verbis dubitationem attulit Rauchenst. p. XXIX. XXX., quod sententiam orator imperfectam ita protulisset, quippe nescientibns Atheniensibus, ad quos legati mittendi essent. Itaque III. hanc esse orat., quod in I. (II.) jussisset orator *πρὸς Θετταλοὺς πρεσβείαν πέμπειν.* Sed idem hic Atheniensibus obscurum nequaquam esse potuit, quoniam mentio paullo ante facta est populorum Philippo infestorum, atque cives ipsi regis incommodis in suam rem abuti jubentur. Fortasse ne certos quidem in mente habuit Demosthenes, in universum haec dicens. Male schol. *ἐπὶ τοὺς ἀγνοοῦντας τὸν Φίλιππον.* Cf. Becker. l. l. p. 194.

Olynthiis, sed infecta victoria domum brevi redeunt. Stupent Thessali, ac res Philippo bene cedere videntes non prorsus quidem incepto absistunt, sed interpellata Magnesiae munitione paullo timidiores facti jamjam *περὶ Μαγνησίας λόγους ποιεῖσθαι* satis habent. Interim Olynthiis periculum propius instabat. Quare nunc, cum nova illi sociis auxilia imperent, Demosthenes non potest quin oculos in Thessalos, quos antea spreverat, conjiciat, civesque simul Olynthiis opem ferre atque legatos in Thessaliam mittere jubeat, qui alios mittendi alterius auxilii certiores faciant, [36]) alios ad laborem fortiter sustinendum incitent. [37]) Verissimum est igitur, quod scribit Beckerus l. l. p. 127.: „*Auch spricht er da* (or. II.) *mit Theilnahme von den Schicksalen dieses Volkes, wie dort mit Bitterkeit über sein bisheriges Verhalten. Alles diess lässt vermuthen, dass die Verhältnisse Athens gegen Thessalien zwischen der I. u. II. Rede sich geändert haben müssen, oder dass wenigstens Demosthenes eine Veränderung herbeizuführen sich bemühte. Umgekehrt ist es unbegreiflich, warum er in einer spä-*

---

36) Cupidius, quam rectius Rauchenst. p. 27. et XXIV. hoc loco ad ordinem Dionysiacum confirmandum usus est, haec scribens: „Quibus Thessalos ignorare adhuc significatur, quid Athenienses contra Philippum moliantur. — Quodsi Olynthii auxilium jam aut petierant aut vero acceperant, id, quaeso, quomodo latere potuerat Thessalos?“ Sed orator dicit, mittendam esse legationem *ἣ τοὺς μὲν διδάξει ταῦτα, τοὺς δὲ παροξυνεῖ.* Non omnes igitur, quid molirentur Athenienses, ignorabant, aut si omnes, nova certe missum iri auxilia scire nondum poterant. Male schol. ad h. l.: *εἰς δύο γὰρ μερίζει τοὺς Θετταλοὺς, εἰς ἀγνοοῦντας τὸν Φίλιππον καὶ εἰδότας μὲν, δεδιότας δέ.* Philippum enim profecto omnes cognoverant. Sed scribere debebat: *εἰς ἀγνοοῦντας τὴν ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων ἐψηφισμένην βοήθειαν, καὶ εἰδότας μὲν ταύτην, δεδιότας δὲ τὸν Φίλιππον.* cf. Schol. annot. ad p. 16. 6.

37) In III. (II.) demum orat. de Thessalis silentium. Frustratos autem spe Philippus postea in servitutem redegit. V. Dem. d. fals. leg. p. 424. 20. §. 260.

tern Rede das früher begünstigte Verhältniss habe zerstören wollen."

Sed Rauchensteinius non tam ad rerum tunc temporis gestarum ordinem, quam ad earum aut breviorem aut accuratiorem expositionem attendens — quae argumentatio quantum ab ipsa re atque a veritate distet supra p. 25. demonstratum est — Demosthenem a prima ad ultimam usque concionem de rebus Thessalorum certiorem esse factum arbitratur, id quod cognosci possit e verbis orat. III. (I.): *ἤκουον δ' ἔγωγέ τινων, ὡς οὐδὲ τοὺς λιμένας καὶ τὰς ἀγορὰς ἔτι δώσοιεν αὐτῷ καρποῦσθαι κ. τ. λ.* quae ita dicta sint, quasi novam famam accepisset. At quid obstat, quin statim ab initio belli rumorem illum Athenas allatum esse statuamus? Imo si vera sunt, quae modo disputavimus, ne potuisse quidem eum alio quoquam tempore afferri pro certo paene affirmare ausim. Etenim audaciam Thessalorum nondum illato bello in suis tantum repetendis conspicuam, post eversis urbibus Chalcidicis, Olynthiis devictis, duplici Atheniensium exercitu profligato, eo processisse, ut jam non modo in incepto perseverarent, sed etiam vectigalibus victorem ac portoriis rite solvendis privare conarentur, nequaquam est credibile. Accedit quod non intelligitur, cur in I. orat. ad foedus cum Thessalis faciendum cives orator cohortetur et instiget, in III. demum iisdem adhuc magis superbientibus, ad hoc Olynthiis in majus jam periculum adductis, suspicionem in Thessalos conferat, eosque crimine perfidiae compellet. Praeterea Magnesia haud dubie non multo post occupatam a Philippo Thessaliam (Olymp. CVI. 4.) muniri coepta est; quare si munitione Thessali Macedones prohibere volebant, properato opus, neque eo usque cunctandum erat, dum perfecta munimenta essent. Itaque certe ante annum Olymp. CVII. quartum Thessali in operibus illos perficiendis interpellasse putandi sunt.

Pag. 24, 15. *sqq.* §. 22. *Οὐ μὴν ἀλλ' ἔγωγε, εἴ τις αἵρεσίν μοι δοίη, τὴν τῆς ἡμετέρας πόλεως τύχην ἂν ἑλοίμην,*

ἐθελόντων ἃ προςήκει ποιεῖν ὑμῶν αὐτῶν καὶ κατὰ μικρὸν, ἢ τὴν ἐκείνου· πολὺ γὰρ πλείους ἀφορμὰς εἰς τὸ τὴν παρὰ τῶν θεῶν εὔνοιαν ἔχειν ὁρῶ ἡμῖν ἐνούσας ἢ ἐκείνῳ.

Hoc quoque loco ad vulgatum ordinem refutandum usus est Rauchensteinius p. 28. et XXIV: „Qua in re id primum animadvertendum est, etiamsi respicitur ad oratoris hyperbolen, tanta fortuna Olynthiorum res adhuc contineri, ut vel parvis copiis servari possint. Id quod ab initio tantum belli poterat dici.“ Sed vellem tamen accuratius hac in re versatus esset. Etenim, nisi egregie fallor, ex hoc toto loco neque ad confirmandum neque ad refellendum alterutrum ordinem quidquam colligi potest.

Summa rei in eo consistit, quod Philippi cum Atheniensibus orator contentionem atque comparationem facit. In antecedentibus nimirum copiose expositum est de regis imbecillitate, oriunda maxime ex ea, quam in omnes exercuisset, perfidia, adaucta continuis ac molestissimis bellis, ac brevi in summam sui suorumque perniciem atque exitium eruptura. Quod quo minus jam dudum eveniret, diuturnam hucusque ejus fortunam orator obstitisse dicit, solam tamquam, sed potentem, cum eo dimicaturis inimicam. Nihilominus autem, si optio sibi detur, res Atheniensium, dummodo ipsi officia sua vel paullulum vellent exsequi, Philippi rebus longe anteferre se non dubitare. Prius enim eos atque facilius ad divinam benevolentiam, quam illum, adspirare posse. Jam etsi vituperationem in hisce prudenter lenitam inesse ex eis quoque patet, quae sequuntur, videtur tamen Demosthenes istam Philippi cum Atheniensibus comparationem eo consilio fecisse, ut magis etiam res Macedonum in suspicionem adduceret. Sed quod dicit *ἐθελόντων ἃ προσήκει ποιεῖν ὑμῶν καὶ κατὰ μικρόν*, male Rauchensteinium habuit; id quod non mirum ei contigisse, qui hoc loco ordinem vulgatum infirmari putabat. At quis est qui haec ad verbum ita intelligenda esse censeat,

ut orator ipse cives non magnopere in rem incumbere, sed tamen aliqua certe ex parte officio suo fungi jubeat? Imo vero eos maxime, qui desidiae adeo se dedunt, ut prorsus nihil faciant, ut vel paullulum in rem incumbant, exhortari atque impellere solemus. Ceterum quam sint futilia interdum adversariorum argumenta, ex eo facile intelligitur, quod scribit Weiskius l. l. III. p. 32. „Demosthenes dum mitti tandem (in or. III. nobis I.) auxilia jubet, his more oratorio significat, pro nullis habenda esse, quae adhuc miserint.“ (Laudat Rauchenst. p. 32. et XV. XXVIII.) Quod si quis nostrum quoque in suam rem converteret ita, ut diceret, Demosthenem nostro in loco, dum vel paullulum cives officiis suis satisfacere jubeat, his more oratorio significare, pro nihilo habenda esse, quae adhuc fecerint, — unde illud certe, fecisse aliquid Athenienses, appareret — vituperationem ille merito subiret. Quare talibus argutiis abstineamus. Sed hanc veniam petimusque damusque vicissim.

Orat. III. (II.)

Magno in periculo ac discrimine versari Olynthios cum ex eis, quae supra pag. 41. monuimus, tum ex his apparet, quae leguntur pag. 28, 5. sqq. §. 1. *Τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα (ὁρῶ), ὥστε ὅπως μὴ πεισόμεθα αὐτοὶ πρότερον κακῶς σκέψασθαι δέον.* (v. supra pag. 50.) *Οὐδὲν οὖν ἄλλο μοι δοκοῦσιν οἱ τὰ τοιαῦτα λέγοντες, ἢ τὴν ὑπόθεσιν, περὶ ἧς βουλεύεσθε, οὐχὶ τὴν οὖσαν παριστάντες ὑμῖν, ἁμαρτάνειν.* — atque

Pag. 30, 11. *sqq.* §. 6. *Εἰ γὰρ μὴ βοηθήσετε παντὶ σθένει κατὰ τὸ δυνατὸν, θεάσασθε ὃν τρόπον ὑμεῖς ἐστρατηγηκότες πάντα ἔσεσθε ὑπὲρ Φιλίππου.*

Pag. 30, 19. *sqq.* §. 7. *Ἐκπολεμῶσαι δεῖν ᾠόμεθα τοὺς ἀνθρώπους ἐκ παντὸς τρόπου, καὶ ὃ πάντες ἐθρύλουν τέως, τοῦτο πέπρακται νυνὶ ὁπωσδήποτε.* Coll. orat. I. (III.) pag. 10, 28 — 11, 2. §. 7

Νυνὶ γάρ, ὃ πάντες ἐθρυλεῖτε, ὡς Ὀλυνθίους ἐκπολεμῶσαι δεῖ Φιλίππῳ, γέγονεν αὐτόματον, καὶ τοῦθ' ὡς ἂν ὑμῖν μάλιστα συμφέροι.

Ad locum priorem Ruedigerus haec annotavit: „ὁπωςδήποτε, quocunque modo; non interest, utrum a vobis excitati Olynthii bellum suscipiant, an sua sponte. Uberius hanc rem Noster exponit Olynth. III. (I. l. l.), unde concludas, eam orat., quam tertiam vocamus, post nostram esse habitam.“ De qua argumentatione vid. quae supra pag. 25. monuimus. At mihi in vv. *αὐτόματον καὶ ταῦθ' ὡς ἂν ὑμῖν μάλιστα συμφέροι*, non amplificatio seu expositio voc. ὁπωςδήποτε inesse, sed hocce potius mutata rerum conditione oppositum illis videtur. Etenim in I. orat. Demosthenes Atheniensibus ut foedus cum Olynthiis faciant suadens maxime in hoc laborat, ut fidos ac firmos socios illos fore demonstret, simul vero etiam ostendat, ipsos foedere facto suis commodis summopere inservituros esse, quippe cum et aliis opitulentur et injurias sibi illatas ulciscantur. Jam vero in III. cum summum sit periculum, ne succumbant Olynthii, non amplius ortum belli atque commoda ex eo capiunda urget, sed strenue fortiterque ut nutantibus succurrant instat. Itaque dicit: *τοῦτο πέπρακται νυνὶ ὁπωςδήποτε*, quacunque ratione, quam commemorare nunc non attinet; non est enim, quem ista omnia fugiant. Foedere autem facto nihil restat, quam ut opem sociis feratis.

Ceterum quamvis Rauchensteinio verum esse largiamur id, quod monet pag. XI. „oratoris (p. 11.) consilium eo pertinere, ut suorum cieat pudorem, qui pristini bellandi desiderii immemores animum despondeant.“ nihil tamen quidquam inde ad ordinem Dionysiacum confirmandum colligi potest.

Pag. 31, 8 — 32. 8. §. 10. *sqq. Μὴ τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, θαυμάσητε, ἂν παράδοξον εἴπω τι τοῖς πολλοῖς· νομοθέτας καθίστατε. — Λέγω δὲ τοὺς περὶ τῶν θεωρικῶν (νόμους) σαφῶς οὑτωσὶ καὶ τοὺς περὶ τῶν στρατευομένων ἐνίους, κ. τ. λ.* Coll. *Orat. I. (III.)*

p. 14 23. *sqq.* §. 19. *Τί οὖν, ἂν τις εἴποι, σὺ γράφεις ταῦτ' εἶναι στρατιωτικά; Μὰ Δί', οὐκ ἔγωγε. Ἐγὼ μὲν γὰρ ἡγοῦμαι στρατιώτας δεῖν κατασκευασθῆναι καὶ εἶναι στρατιωτικά.* Cf. Becker l. l. p. 126. sq.

Res haec, ut via progrediamur, paullo altius repetenda est. Post Euboicam expeditionem Athenienses (Olymp. LXXXIII$\frac{3}{4}$. Vid. Thucyd. I. 115.), pace cum Lacedaemoniis in triginta annos pacta, M quotannis talenta in aerarium retulerunt, usui tantummodo bellico destinata, nec prius inde depromenda, quam hostis in Atticam invaderet. Sed vario ac mutabili populo mox alia placuere. Resoluti enim Athenienses, ut Justinus (VI. 9.) refert, in segnitiem torporemque non, ut olim, in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum reditus publicos effundunt: et cum actoribus nobilissimis poetisque theatra celebrant, frequentius scenam, quam castra visentes, versificatoresque meliores, quam duces laudantes. Tunc vectigal publicum, quo antea milites et remiges alebantur, cum urbano populo dividi coeptum. Scilicet cum inter eos, qui ad spectacula confluxerunt, de locis occupandis crebrae turbae atque rixae exardescerent, conviciis plerumque, quin etiam vulneribus nonnumquam transactae, decrevit senatus, ut ne quis introiret, nisi prius duos obolos solvisset. Jam vero pauperes ne aut temere hisce deliciis privari viderentur, aut plus, quam eorum fortuna sive commodum ferret, in tales res impendere cogerentur, Pericles rogationem pertulit, qua viritim civibus duo oboli ad usum theatralem expenderentur, sed ea conditione, ut, si quando usus venisset, pecunia ista rursus in rem militarem insumeretur. Quo ex pacto cum Apollodorus quidam militibus eam reddi ac restitui juberet, tantopere jam voluptatis illecebris irretiti erant Athenienses, ut Eubulus, Demosthenis adversarius, impune legem ferret *θάνατον ἀπειλοῦντα τῷ γράψαντι μετατεθῆναί τε αὐτὰ εἰς τὴν ἀρχαίαν τάξιν καὶ γενέσθαι στρατιωτικά.* Vid. Liban. arg. orat. I.

Hinc quanta cautio fuerit ei, qui istam legem abrogare ausus sit, ne in odium populi et apertam perniciem incurreret, sponte apparet. Jam periculosum illud ac molestum negotium Demosthenes in orationibus Olynthiacis suscipit.

Ac primum ejus rei statim in I. (III.) orat. mentionem facit, id quod non mirum est propterea, quod qui bellum parare cives jubet, primum omnium, unde stipendia militibus persolvenda sumantur, ostendat necesse est. Sed ut in I. orat. hanc rem Demosthenes leviter perstringit, ita uberius et accuratius de ea in III. (II.) orat. exponit; quod quamvis haud probabile Ruedigero (p. 74.) videatur ac Rauchensteinio (p. 39. et XXX. XXXI.), nescio tamen, an ita omnia inter se apta atque nexa sint, ut ne argutissima quidem argumentatione divelli ac refelli posse videantur.

In orat. I. (III.) opitulandi necessitate demonstrata jam transit orator ad pecunias in bellum impendendas, ibique velut prudens medicus, qui prius specillum in ulnus demittit, quam terebram ei aut scalpellum adhibeat, non quidquid in buccam temere statim effutit, sed caute primum auditorum animos explorare studet, non tam poenam ex lege capitalem sibi irrogandam, quam plebis pertinaciam metuens, qua pro deliciis illa suis aeque ac pro aris et focis pugnare solet. Neque eum fefellit. Totus enim hujus loci habitus et color ejusmodi est, ut facile inde colligas, quomodo oratoris consilia populus exceperit. Exorditur autem ille hunc in modum: „Ad pecuniam comparandam quod attinet, suppetit vobis, Athenienses, quanta nemini mortalium, pecunia militaris.“ Nondum quid sibi velit intelligunt auditores, imo stupent rei novitate ac loquentem diligentius attendunt. Pergit ille: „sed hanc temere consumitis pecuniam.“ Jam quo tendat orator vix cuiquam dubium. „Quas si militibus restitueritis, opibus mirum quantum affluetis, sin minus, ab omnibus adminiculis destituti eritis.“ Nunc, si qua supererat, exemta auditoribus dubitatio.

Sed plebs, utpote neque approbationem unquam, neque indignationem continere solita, cum graviter molesteque ferret de eo, qui suas sibi delicias eripere conaretur, neque initio belli cur tanto apparatu opus esset intelligeret, auditis hisce turbas concitasse atque interpellasse loquentem videtur. Quare Demosthenes plebis animos novarum rerum alienos atque offensos sibi esse videns, laetari quoque adversarios animadvertens, quod capitale periculum ultro subeat, callide quasi quendam de populo consurgere facit et interrogare: „quid ergo? Tu jubes istas pecunias fieri militares?“ Hoc aperte affirmare vesani esset. Itaque respondet: „Ego vero per Deos non. Etenim censeo milites esse conscribendos, eisque persolvenda stipendia.[38]) Conferenda igitur sedulo pecunia, non in alienas res temere impendenda.“ Verum ita dum periculum avertere videtur, in mente tamen eum pecunias theatrales habere nemo non videt.

Hoc eventu deterritus Demosthenes in II. (I.) orat. pecunias istas non amplius urget, sed in universum *εἰςφέρετε* dicit (V. p 21, 25. §. 13. p. 25, 27. §. 27. p. 27, 7. §. 31.). Hinc Rauchensteinio de re tam gravi tamque necessaria ne verbum quidem dici miranti, vulgatus ordo laborare videtur. Sed recordare, quaeso, plebeculam deliciis suis atque voluptatibus vehementer dedi-

38) *καὶ εἶναι στρατιωτικά.* Ita recte Bekkerus ex duobus libris Parisin. Secuti sunt Engelh. l. l. p. 23., Voemel, Bremi, nuperque Ruedigerus. Hic locus, cujus vulgata scriptura est *καὶ ταῦτ' εἶναι*, variis modis a viris doctis tentatus est. Ulpianus adscripsit haec: *σὺ, φησὶ, γράφεις, τὰ θεωρικὰ εἶναι στρατιωτικά; εἶτα λύει, ὅτι συμβουλεύω μὲν, οὐ γράφω δὲ, τὸν κίνδυνον εἰδὼς καὶ τὸν Εὐβούλου νόμον μὴ ἀγνοῶν.* Cui adstipulatus olim Ruedigerus, nunc cum Weiskio eidem jure refragatur. Equidem verba *σὺ γράφεις ταῦτ' εἶναι στρατιωτικά;* formulam in ipsa lege perscriptam continere arbitror. Mounteney in annott. ad hunc locum *ταῦτ'* per *διὰ ταῦτα* explicat. Weiskius de hyperb. III. p. 35. *καὶ ταῦτ' εἶναι καὶ εἶναι* legendum esse censet. Utriusque rationem bene refutat Rauchenstein. p. 54. 55. annot. 13.

tam, demagagos atque oratores Demostheni infestissimos, Philippum fortassis adhuc in urbes Chalcidicas saevientem, certe Olynthum nondum adorsum, paratam denique Charidemo duce classem in Hellesponto cum IV mill. expeditis, auxilio mittendam Olynthiis: quae reputans ac partim necessitate, partim prudentia speque melioris eventus permotus, nonne, quod per se quidem gravè et necessarium erat, nunc tamen silentio transire poterat? Neque enim tantopere cives patrum virtutis degeneres esse suspicabatur, ut vel admoniti et ob segnitiem castigati officiis suis deesse pergerent. Sed „fuimus Troes!"

Charidemus enim quamquam Macedones adeo profligasse videbatur Atheniensibus, ut jam non amplius de servandis Olynthiis, sed de ulciscendo Philippo sermo esset, brevi tamen tertii Olyntho legati venerunt, qui rogarent, ut novus exercitus, isque civilis, auxilio sibi mitteretur. Jam nunc tandem orator, rebus Olynthiorum in summum discrimen adductis, non potest, quin omnem timorem prorsus abjiciens ad eam rursus rem confugiat, qua jam ab initio statim salutarius reipublicae nihil reperiri posse persuasum sibi habebat, — ut pecunias theatrales militibus reddant atque restituant. [39]) In his nulla amplius cautio, nulla moderatio, nulla continentia. Nomothetas, inquit, constituite, non ad ferendas novas leges, sed ad eas abrogandas, quae reipublicae perniciem parant; theatrales dico. Quae omnia, nisi aptissime inter se cohaerent, nihil, fateor, video.

Quare Rauchensteinius, cui aeque ac Ruedigero (prolegg. p. 74. „Jam non probabile est, hanc rem tangi in orat. I., latius vero exponi in III." V. supra pag. 25.) inversus ordo placuit, Dionysium ab hocce impetu vindicasse non videtur. Ego vero nulla ratione

---

39) Quamquam novem demum annis post factum illud esse asseverat Philochorus ap. Dionys. Halic. in epist. ad Ammaeum, Vol. VI. p. 742.

adduci possum, ut arbitrer Demosthenem, in quo nimirum omnes non modo summum oratorem, sed etiam politicum admirantur, rem, a qua totius civitatis salus pendebat, in Orat. I. tacitum praeteriisse, in II. eandem, nondum exploratis auditorum in re tam gravi et periculosa animis, ut poena capitali sublata in integrum restituerent jussisse, in III. demum, in summo sociis periculo versantibus, ejusdem timide magis quam callide mentionem fecisse, imo plane tandem ea destitisse. [40])

His rationibus vulgatum orationum Olynthiacarum ordinem satis confirmatum esse puto.

Sed quo argumenta, quibus vulgatum harum orationum ordinem defendere ac stabilire studuimus, facilius in conspectum caderent, non alienum nostro visum est consilio subjungere tabulam, in qua, quae inter se cohaererent, omnia comprehendentes in suum unum quidque genus digestum atque distributum exhiberemus.

Orat. I. (III.)	*Orat. II. (I.)*	*Orat. III. (II.)*
Philippus adoritur urbes Chalcidicas. Legati I. Olyntho Athenas veniunt. Mittitur auxilio *Chares* cum classe et exercitu; nihil proficit.	*Philippus* adhuc urbium Chalcidicarum oppugnatione occupatus. Legati II. Olyntho Athenas veniunt. Mittitur auxilio *Charidemus* cum classe et exercitu; victoriam Athenas nunciat. Superbit plebs et turba oratorum. V. pag. 38. sq.	*Philippus* expugnatis, ut videtur, urbibus Chalcidicis Olynthum adoritur. Legati III. Olyntho Athenas veniunt, exercitum civilem petentes. Mittitur auxilio *Chares* iterum cum classe et exercitu. Succumbit Olynthus Olymp. CVIII. 1.

40) Fallitur Rauchensteinius, qui p. 40. et XXXI. in orat. III. (I. nobis) hanc rem brevius *vehementiusque* tractari dicit. Brevitatem quidem nemo non agnoverit, sed vehementiam ibi profec o frustra quaesieris.

Orat. I. (III.)	Orat. II. (I.)	Orat. III. (II.)
Societas ineunda.	***Societas***	***inita.***
Ἔστι δὴ τά γ᾽ ἐμοὶ δοκοῦντα, ψηφίσασθαι μὲν ἤδη τὴν βοήθειαν, καὶ παρασκευάσασθαι τὴν ταχίστην, ὅπως ἐνθένδε βοηθήσητε κ. τ. λ. pag. 28.	Φημὶ δὴ δεῖν ὑμᾶς ἅμα τοῖς μὲν Ὀλυνθίοις βοηθεῖν, καὶ ὅπως τις λέγει κάλλιστα καὶ τάχιστα, οὕτως ἀρέσκει μοι. pag. 29.	— Ὅτι μὲν δὴ δεῖ βοηθεῖν, εἴποι τις ἄν, πάντες ἐγνώκαμεν, καὶ βοηθήσομεν, τὸ δὲ ὅπως, τοῦτο λέγε. pag. 29.
Πεφηνέναι τινὰ ἡμῖν συμμαχίαν τούτων ἀντίῤῥοπον, ἂν βουλώμεθα χρῆσθαι κ. τ. λ. pag. 49.	Ὡς ἔστι τῶν αἰσχρῶν, μᾶλλον δὲ τῶν αἰσχίστων, μὴ μόνον πόλεων καὶ τόπων, ὧν ἦμέν ποτε κύριοι, φαίνεσθαι προϊεμένους, ἀλλὰ καὶ τῶν ὑπὸ τῆς τύχης παρασκευασθέντων συμμάχων τε καὶ καιρῶν. pag. 56. sq.	Οὐχ οὓς, εἰ πολεμηθεῖεν, ἑτοίμως σώσειν ὑπισχνούμεθα, οὗτοι νῦν πολεμοῦνται; pag. 58.
Belli initium.	***Bellum Olynthiis ipsis nondum illatum,***	***Propius instans periculum.***
Ὡς ἔστι μάλιστα τοῦτο δέος, μὴ πανοῦργος ὢν καὶ δεινὸς ἄνθρωπος πράγμασι χρῆσθαι — τὰ δ᾽ ἡμᾶς διαβάλλων καὶ τὴν ἀπουσίαν τὴν ἡμετέραν τρέψηται καὶ παρασπάσηταί τι τῶν ὅλων πραγμάτων. pag. 44. sqq.	Τὸ γὰρ τοὺς πολεμήσοντας Φιλίππῳ γεγενῆσθαι κ. τ. λ. pag. 55. sq.	Ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρός, ὦ ἄνδρες Ἀθ., εἴ πέρ ποτε, πολλῆς φροντίδος καὶ βουλῆς δεῖται. pag. 41.
	susceptum tamen jam ab Atheniensibus. Μηδὲν ποιοῦντες ἡμεῖς ὧν τοῖς πολεμοῦσι προςήκει κ. τ. λ. pag. 57.	Ὁρᾶτε γάρ, ὡς ἐκ τοῦ πρὸς χάριν δημηγορεῖν ἐνίους εἰς πᾶν προελήλυθε μοχθηρίας τὰ παρόντα. p. 41.
— πρὸς δὲ τὰς καταλλαγάς, ἃς ἂν ἐκεῖνος ποιήσαιτο ἄσμενος πρὸς Ὀλυνθίους, ἐναντίως ἔχει. pag. 44. sqq.		— Τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα (ὁρῶ), ὥστε ὅπως μὴ πεισόμεθα αὐτοὶ πρότερον κακῶς σκέψασθαι δέον. p. 63.
Νυνὶ γάρ, ὃ πάντες ἐ-		Ἐκπολεμῶσαι δεῖν ὡ-

Orat. I. (III.)

θρυλεῖτε, ὡς Ὀλυνθίους ἐκπολεμῶσαι δεῖ Φιλίππῳ, γέγονεν αὐτόματον, καὶ τοῦθ᾽ ὡς ἂν ὑμῖν μάλιστα συμφέροι. pag. 64. sq.

Ulciscendum esse Philippum.

Φημὶ δὴ διχῇ βοηθητέον εἶναι τοῖς πράγμασιν ὑμῖν, τῷ τε τὰς πόλεις τοῖς Ὀλυνθίοις σώζειν — καὶ τῷ τὴν ἐκείνου χώραν κακῶς ποιεῖν καὶ τριήρεσι καὶ στρατιώταις ἑτέροις. p. 50. sqq.

Urbes Chalcidicas servandas esse.

Φημὶ δὴ διχῇ βοηθητέον εἶναι τοῖς πράγμασιν ὑμῖν, τῷ τε τὰς πόλεις τοῖς Ὀλυνθίοις σώζειν, κ. τ. λ. p. 50. sqq.

Οὔτ᾽ ἂν ἐξήνεγκε τοῦτον ἐκεῖνος τὸν πόλεμον, εἰ πολεμεῖν ᾠήθη δεήσειν αὐτόν, ἀλλ᾽ ὡς ἐπιὼν ἅπαντα τότε ἤλπιζε τὰ πράγματα ἀναιρήσεσθαι, κᾆτα διέψευσται. Τοῦτο δὴ πρῶτον αὐτὸν ταράττει παρὰ γνώμην γεγονός, καὶ πολλὴν ἀθυμίαν αὐτῷ παρέχει. p. 53.

Orat. II. (I.)

Orat. III. (II.)

μεθα τοὺς ἀνθρώπους ἐκ παντὸς τρόπου, καὶ ὃ πάντες ἐθρύλουν, τοῦτο πέπρακται νυνὶ ὁπωσδήποτε. p. 63. sq.

Non ulciscendum Philippum, sed servandos esse socios.

Νῦν μέντοι πέπεισμαι τοῦθ᾽ ἱκανὸν προλαβεῖν ἡμῖν εἶναι τὴν πρώτην, ὅπως τοὺς συμμάχους σώσωμεν. Ἐὰν γὰρ τοῦτο βεβαίως ὑπάρξῃ, τότε καὶ περὶ τοῦ τίνα τρόπον τιμωρήσεταί τις ἐκεῖνον ἐξέσται σκοπεῖν. κ. τ. λ. p. 51.

Civilis exercitus poscitur.

Οὐκ ἔστιν ὅπου τοῖς μηδὲν ποιοῦσιν ἐγὼ τὰ τῶν ποιούντων εἶπον ὡς δεῖ νέμειν, οὐδ᾽ αὐτοὺς μὲν ἀργεῖν καὶ σχολάζειν καὶ ἀπορεῖν, ὅτι δὲ οἱ τοῦ δεῖνος νικῶσι ξένοι, ταῦτα πυνθάνεσθαι, κ. τ. λ. p. 19, 20.

Orat. I. (III.)	*Orat. II. (I.)*	*Orat. III. (II.)*
Societate cum Thessalis nihil opus. *Εἶτα τὰ τῶν Θετταλῶν· ταῦτα γὰρ ἄπιστα μὲν ἦν δήπου φύσει καὶ ἀεὶ πᾶσιν ἀνθρώποις, κομιδῇ δ', ὥσπερ ἦν, καὶ ἔστι νῦν τούτῳ· καὶ γὰρ Παγασὰς ἀπαιτεῖν αὐτόν εἰσιν ἐψηφισμένοι, καὶ Μαγνησίαν κεκωλύκασι τειχίζειν.* p. 57. sqq.	***Non omittendam societatem cum Thessalis.*** *Πρὸς δὲ Θετταλοὺς πρεσβείαν πέμπειν, ἣ τοὺς μὲν διδάξει ταῦτα, τοὺς δὲ παροξυνεῖ· καὶ γὰρ νῦν εἰσὶν ἐψηφισμένοι Παγασὰς ἀπαιτεῖν καὶ περὶ Μαγνησίας λόγους ποιεῖσθαι.* p. 57. sqq.	
Comparandam pecuniam esse.		
Τί οὖν, ἄν τις εἴποι, σὺ γράφεις ταῦτ' εἶναι στρατιωτικά; κ. τ. λ. p. 64. sqq.	*Εἰσφέροντας.* p. 67. *Φημὶ δὴ δεῖν εἰσφέρειν χρήματα.* ib. *Εἰσφέρειν ἀφ' ὅσων ἕκαστος ἔχει.* ib.	*Μὴ τοίνυν, ὦ ἄνδ. Ἀθ., θαυμάσητε, ἂν παράδοξον εἴπω τι τοῖς πολλοῖς, νομοθέτας καθίστατε κ. τ. λ.* p. 64. sqq.
Lenis admonitio. *Οὐ δεῖ δὴ τοιοῦτον, ὦ ἄνδ. Ἀθ., παραπεπτωκότα καιρὸν ἀφεῖναι, οὐδὲ παθεῖν ταὐτὸν, ὅπερ ἤδη πολλάκις πρότερον πεπόνθατε.* p. 40. sq.	***Gravis adhortatio.*** *Δεῖ τοίνυν, ὦ ἄνδ. Ἀθ., τοῦτ' ἤδη σκοπεῖν αὐτοὺς, ὅπως μὴ χείρους περὶ ἡμᾶς αὐτοὺς εἶναι δόξομεν τῶν ὑπαρχόντων.* p. 41. *Πολλὴν δὴ τὴν μετάστασιν καὶ μεγάλην δεικτέον τὴν μεταβολήν.* p. 41. *Οὐ μὴν ἀλλ' ἔγωγε, εἴ τις αἵρεσίν μοι δοίη, τὴν τῆς ἡμετέρας πόλεως τύχην ἂν ἑλοίμην, ἐθελόντων ἃ προσήκει ποιεῖν ὑμῶν καὶ κατὰ μικρὸν, ἢ τὴν ἐκείνου.* p. 61. sq	***Vehemens vituperatio.*** *—Ἐκεῖνο ἀπορῶ, τίνα χρὴ τρόπον, ὦ ἄνδ. Ἀθ., πρὸς ὑμᾶς περὶ αὐτῶν εἰπεῖν· πέπεισμαι γὰρ, ἐξ ὧν ἀκούων σύνοιδα, τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ὑμᾶς ἐκπεφευγέναι τῷ μὴ βούλεσθαι τὰ δέοντα ποιεῖν, οὐ τῷ μὴ συνιέναι.* p. 41. *Οὐ γὰρ ἀλλοτρίοις ὑμῖν χρωμένοις παραδείγμασιν, ἀλλ' οἰκείοις, ὦ ἄνδ. Ἀθ., εὐδαίμοσιν ἔξεστι γενέσθαι.* p. 42. sq.

Cap. IV.

Fidem hac in re Dionysio non habendam esse.

Vulgatum ordinem iis, quae hactenus disputavimus, mirifice confirmari atque comprobari vix quemquam fugiet, qui quae utrimque afferuntur argumenta accurate pervestigaverit et perpenderit. Neque vero diffitendum est, non prius rem ad liquidum perductum iri, quam Dionysii Halicarnassensis, quo maxime nituntur adversarii, judicium hac certe in re suspectum aliquis ac falsum esse demonstraverit. Subducta autem et confracta hac columna fieri profecto non poterit, ut reliqua omnia, jam prona ad ruinam, brevi non corruant ac fracta collabantur.

Dionysius, ut supra pag. 1. jam memoratum est, in epistola ad Ammaeum prima, uti vulgo inscribitur, I. dicit orationem esse eam, quae verbis incipiat his: „*Ἐπὶ πολλῶν μὲν ἰδεῖν ἄν τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δοκεῖ μοι.*“ II. quae exordiatur sic: „*Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν.*“ III. cujus hoc sit initium: *ἀντὶ πολλῶν ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρημάτων.* Libri contra manu scripti in alia omnia discedunt. Primam faciunt, quae Dionysio tertia, secundam et tertiam, quae eidem prima et secunda. Unus tantummodo est, qui cum reliquis non ex omni parte conspirare videtur, eamque ob causam suspicionem auget adversariis; Augustanum II. dico. In eo enim orationem vulg. III., Dionysio II., inscribi *Ὀλυνθιακὸς δεύτερος* refert Ruedigerus p. 115. in annot. Unde Rauchenstein. p. IX. perperam collegit, „Demosthenis Codicem Augustanum II. in hac orationum collocatione Dionysium sequi.“ At meminisse debebat vir doctus, Olynthiacas orationes omnes tres in isto codice, quem notae neque optimae, neque pessimae esse dicit Reisk. in praefat. ad Demosth. T. I. p. LXVIII., perscriptas ac secundum ordinem vulgatum dispositas, et primam quidem atque alteram nominibus suis recte insignitas, solam tertiam per errorem librarii falso inscri-

ptam esse. Sin eo ibi ordine, quo Dionysius voluit, omnes collocatae essent, jure mireris, unius tantum orationis inscriptionem tamquam singularem diversitatem enotari (*Ὀλυνθιακὸς δεύτερος*), non simpliciter Dionysiacum ibi ordinem obtinere dici, aut reliquarum quoque orationum titulos (*πρῶτος* et *τρίτος Ὀλ.*) afferri. [41]) Hunc autem librorum omnium quasi consensum et concentum haud jure spreveris, frustra caeco casu factum esse dixeris, aegerrime impugnaveris.

Sed ne diutius illud urgeamus, aut praepostere nostram rem agamus, videndum jam de causis, quae de Dionysii fide derogandum esse demonstrent. Tria autem sunt potissimum, quae si justis rationibus confirmaverimus, res nullam amplius habebit dubitationem. Ac primum, Dionysium non de industria vulgatum harum orationum ordinem mutasse, ostendendum, tum, potuisse eum hoc in loco errare, probandum, denique, qua ratione in errorem sit inductus, demonstrandum est.

I. Dionysium non de industria vulgatum harum orationum ordinem mutasse, facile nobis dabunt ii, quibus ejus de hujusmodi rebus disputandi ratio non prorsus incognita est. Quamquam enim, id quod critici est, de rebus dubiis sententiam ita plerumque fert, ut non ex aliorum judicio pependisse, sed ipse vidisse, cogitasse, judicasse videatur, haud raro tamen, quo temeritatis speciem a se avertat, aut novas res legenti magis probet, suo judicio aliorum etiam virorum doctorum auctoritatem adjungit. Ita nonnumquam de orationum inscriptionibus earumque auctoribus disserens ad Callimachum

---

41) His scriptis demum ex collatione codicum Augustanorum, quam V. D. Car. Schaeferus cum Ruedigero communicaverat, quamque inspiciendi V. Cl. copiam mihi fecit, totam causam ex fortuita orationum et argumentorum confusione pendere vidi. Etenim excipiunt ibi sese hoc modo: Argum. I. Orat. I. Arg. II. Orat. III. Arg. III. orat. II.

atque Pergamenos Grammaticos [42]) provocat. V. d. Isaeo jud. T. V. p. 594. D. adm. vi dic. in Dem. T. VI. p. 994. D. Dinarch. jud. T. V. p. 653. Ep. ad Amm. I. T. VI. p. 725. Sin autem ipse novi quiddam comminiscitur, causam rationemque subjungere nunquam negligit. Hinc non poteris quin demirere, in eo loco, ubi Olynthiacarum orationum ordinis mentionem facit, pristini et usitati moris Dionysium prorsus immemorem esse. Res plane nova, nihil rationis allatum, nullum alius testimonium adjunctum. Quid ergo? Suone judicio Dionysius novum istum orationum ordinem satis confirmatum arbitratus est? Nequaquam, puto. Imo Grammaticos erroris coarguere, sibi gloriolam vindicare non dubitasset.

Sed alia nobis eaque haud futilia argumenta Dionysius ipse suppeditat, et qui eum defendit, Rauchensteinius. In eadem epistola ad Ammaeum orationibus Demosthenis Philippicis ea quoque adnumeratur, quae *περὶ Ἁλοννήσου* inscribitur. Aliis vero in locis (d. adm. vi dic. Dem. T. VI. p. 981. 994.) [43]) eandem Dionysius

42) Callimachus Cyrenaeus, ap. Suid. v. *Καλλίμαχος* (coll. Etym. M. s. v. *πίναξ*) texuisse dicitur *πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ'*, in quibus de variis scriptoribus, inprimis de rhetoribus eorumque scriptis accurate eum exposuisse, librorum et orationum titulos et initia indicasse, dubios libros auctoribus suis restituisse, alienisque abjudicasse colligitur ex Athenaeo I. 4. p. 4. e. II. 28. (82.) p. 70. b. VI. 10. (43.) p. 244. a. VIII. 3. (15.) p. 336. e. XIII. 6. (48.) p. 585. b. XIV. 13. (51.) p. 644. e. XV. 3. (9.) p. 670. e. aliisque locis, quos diligenter collegit Jonsius, de scriptt. hist. philosoph. (cur. J. C. Dorn. Jen. 1716) II. 5. p. 159—195. Cf. Becker, Dem. als Staatsm. u. Redner I. p. 266. annot. 4. et Philipp. Reden p. 106. Weisk. d. hyperb. III. p. 27. Pergameni Grammatici. Crates Mallotes ejusque asseclae, d. q. v. Wolf. prolegg. ad Homer. p. CCLXXVI. et Becker. ll. ll. Videntur illi iidem esse, qui ap. Dion. ep. Amm. I. p. 725. *οἱ τοὺς ῥητορικοὺς πίνακας συντάξαντες* dicuntur. Memorantur etiam ab eodem d. Dinarch. p. 630. 11. p. 661. 6.

43) V. Ruediger. progr. de canone Philippicar. Demosth. Fri-

orationem suspectam habet atque falso Demostheni adscribi asseverat. Hanc repugnantiam tollere conatus est Rauchenstein. p. 49. annot. 1. et VIII. ita ut diceret, Dionysium in hac epistola nec quae orationes verae, nec quae suppostitiae essent, ostendere voluisse, sed cui quaeque tempori tribuenda esset, canonem Grammaticorum quam maxime secutum; tum scivisse eum quidem, canoni illi non ex omni parte credendum esse, sed mutare hac in re non potuisse, nisi fusior, quam tum ei licebat, in eadem re esse voluisset. At primum tantulae molestiae veritatem posthabere criticum vel maxime dedecet. Nec vero etiam opus erat, ut fuse lateque de ea re dissereret atque exponeret, dum modo sententiarum in ordinandis orationibus varietatem memorasset, aut aliorum testimonia attulisset, aut — qua ratione interdum hujusmodi ambages evitare studuit [44]) — in aliud tempus istam disputationem distulisset. Quod ut urgeam adducor eo quoque, quod paullo post in ead. ep. p. 725. Dionysius Demosthenis orationes percensens atque suo quamque tempori assignans, primam, quam ille coram populo habuerit, eam esse dicit, quam *περὶ τῶν συμμοριῶν* inscribant *οἱ τοὺς ῥητορικοὺς πίνακας συντάξαντες*. Quod ut scire hoc in loco nihil refert, ita facilius etiam Dionysius silentio praeterire poterat, quia jam antea in art. rhetor. T. V. p. 351. de hujus orationis inscriptione disseruerat. Quare ego certe mihi persuadere non possum, minutas res ac notas Dionysium tam accurate pervestigaturum, res contra graviores ac plane novas ne uno quidem argumento confirmaturum fuisse. Huc accedit, quod id ipsum etiam, quod protulit l. l. Rauchenstein., secutum esse Dionysium canonem

---

berg. 1820. p. 9. 12. 13. et A. G. Becker, Dem. als Staatsm. u. Redn. I. p. 280; Dem. Philipp. Red. p. 301—322; Dionys. üb. d. Rednergew. d. Dem. p. 41. annot. 9.

44) Vid. d. adm. vi dic. Dem. p. 1057. 9. Cf. Fabric. bibl. Graec. Vol. III. p. 787. Becker Dionys. Abh. p. XXV.

istum a Grammaticis compositum, non modo demonstrari non potest, verum magnam quoque habet dubitationem. Etenim non magni eum homunculos istos aestimasse, cum ex aliis locis (d. Dinarch. jud. T. V. p. 630., ubi Callimachus aeque ac Pergameni Grammatici castigantur; ibid. p. 661.), tum ex eo loco intelligitur, quem ex epistola ad Ammaeum modo attuli. [45]) Sermo est ibi de oratione, *ἣν ἐπιγράφουσιν οἱ τοὺς ῥητορικοὺς πίνακας συντάξαντες, Περὶ τῶν συμμοριῶν.* Verum eorum judicium non confirmari, sed improbari jure colligitur ex altero, quem attuli, loco ex art. rhet. p. 351., ubi eandem orationem rectius *περὶ τῶν βασιλικῶν* inscribi ostenditur. Tantum abest igitur, ut eis fidem temere habendam esse arbitrer, ut, nisi externis internae rationes accedant, errasse eos contendam, perversa mutare et in ordinem redigere non dubitem; quamquam de orationum Olynthiacarum collocatione quid statuerint, pro certo affirmare non ausim. Quare cum non liqueat, Grammaticorum canonem secutum esse Dionysium, nec vero etiam de industria vulgatum harum orationum ordinem immutasse credibile sit, erravisse eum statuamus necesse est.

II. Nulli hactenus critico tam felici esse licuit, ut non aliquoties, aut semel certe erraverit. Tanta enim arti criticae exercendae impedimenta nonnumquam inferuntur, in quibus removendis ac superandis sagacissi-

---

45) Ex utroque hoc loco, qui rem ad vivum resecare velit, Dionysium in tota orationum dispositione canone isto non usum esse colligat. Etenim si eo usus esset, mirere, de oratione *περὶ συμμοριῶν* disserentem Grammaticorum illorum judicium attulisse, cum id potius, quod ipse aut alii de ea re censerent, memorare debuisset (ut pag. 351.). Itaque Beckero adstipulari non possum, qui (Dem. als Staatsm. u. Redn. I. p. 266. annot. 4.) hoc maxime loco (p. 725.) probare studet, ad oratt. ordinandas canonem Dionysium adhibuisse. Acute vero (ibid. p. 285.) ostendit, quomodo in istas Grammaticorum tabulas errores irrepsisse verisimile sit, id quod vel adversariis probatur. V. Rauch. l. l.

mus quisque operam frustra consumat. Sed facilius, opinor, ille errati veniam impetraverit, quam is, quem non tam inscitia, quam festinatio atque negligentia in errorem rapit. Quippe ingenii enim vel maxima subtilitas atque sagacitas, per se indigens, accuratissimae diligentiae et industriae auxilio eget. Hoc autem errore haud raro Dionysium quoque lapsum esse permultis exemplis probarunt Ruedigerus progr. d. can. Philipp. p. 9. sqq. et A. G. Beckerus Dem. Philipp. Red. p. 108. in annot. atque Dionys. üb. d. Rednergew. d. Dem. ibique in commentatione praemissa: Dionys. als aesthet. krit. Schriftsteller p. XXIV. annot. 28.

Hinc etiam in ordine orationum Olynthiacarum erravisse Dionysium quamvis ut certo colligi non possit cuivis largiar, nescio tamen an prius in ejus sententiam adversarii discesserint, quam aut verum vidisse Dionysium, aut non vidisse reliquos omnes cuiquam probavissent. Imo magis etiam nostram suspicionem auget hoc, quod epistola haec ad Ammaeum data prima mirum, si cum reliquis ejusdem auctoris scriptis comparetur, quantum scatet erratis. Quibus, quamvis sint diversi generis, — id quod vir doctus praetermittere non debebat — venia tamen data est a Rauchensteinio l. l. Cum enim plerasque ab eo in ep. ad Ammaeum orationes Demostheni a Dionysio tribui vidisset, quae Demosthenis esse nullo modo possent, id minus urgendum esse propterea putabat, quod Dionysius ibi nec quae orationes verae, nec quae supposititae essent ostendere voluerit, sed cui quaeque tempori tribuenda esset. Quod etsi verum est, neqúaquam tamen debebat inter orationes Demosthenicas eam numerare, quam falso huic oratori adscribi probe sciebat, nedum ut quo eam tempore habuerit, qui numquam habuit, pro certo affirmare posset. Quin etiam si tantummodo, cui quaeque tempori oratio tribuenda esset, ostendere voluit, in ordine orationum Olynthiacarum plane non erat cur quidquam

mutaret. Omnes enim tres uno anno Archonte Callimacho habitas esse paullo ante ipse dixerat.

Huic errori reliquos quoque consimiles esse arbitror, quos tamen, utpote non a librarii cujusquam, sed ab ipsius scriptoris manu oriundos, corrigere nefas; [46]) Demosthenis dico annum natalem falso constitutum, orationem de pace laudatam quidem, sed nullo numero designatam, Philippicam I. inepte dissolutam, Philippicarum omnium confusionem. Quae omnia quamvis minime dubitem, quin eodem possint excusari argumento, quo omissam de oratione περὶ Ἁλοννήσου dubitationem defendit Rauchensteinius, aperte tamen tantae incuriae ac festinationis Dionysium arguunt atque convincunt, ut non multum de eo detraxisse videare, si in disponendis orationibus Olynthiacis quoque a vero paullum aberasse eum dixeris.

III. Nec vero etiam obscurum est, quomodo in hunc errorem Dionysius induci potuerit.

Demosthenem jam multas orationes habuisse, priusquam artem rhetoricam scripsisset Aristoteles, in hacce ad Ammaeum epistola demonstrare conatus est. Quare non potuit quin orationes istas eo, quo habitae erant, ordine enumeraret, atque Philippicarum, quae numero tantum notatae facile inter se permutari poterant, unius cujusque initium adscriberet. Haecce autem memoriter eum meminisse, quamvis hoc in critico non admirere, qui Demosthenem suum de manu numquam deposuit, propterea tamen non verisimile est, quod non, ut qui subito rei meminisset, suis totam sententiam verbis

---

46) Id quod in ordinandis oratt. Philippicis inde ab H. Wolfio plerisque viris doctis placuit. Etenim cum sextam esse Dionysius, non allata quinta, eam diceret, quae pro altera parte Phil. I. habenda est, pro ἕκτην legendum esse πέμπτην censuerunt. „Sed non videntur considerasse, hoc mutato numero omnes sequentes numeros usque ad δώδεκα esse corrigendos; imo omnia sana esse puto et potius peccasse Dionysium, qui nescio quo pacto numerum confudit.“ Ruediger. progr. laud. p. 9. annot. 7.

comprehendit, sed ipsa oratoris verba transscripsit. Statuendum est igitur, non canonem Grammaticorum, cui ipse non admodum confisus est, sed orationum Demosthenicarum exemplum ad manum Dionysio fuisse, unde ea, quae sibi forte ad suam rem quadrare viderentur, deligere atque exscribere posset. — At in omnibus, inquies, quae quidem ad nostra tempora pervenerunt, harum orationum exemplaribus eo ordine dispositae sunt Olynthiacae, qui vel maxime cum Dionysiaco discrepat. — Sed in eo ipso conspicuus error Dionysii.

Orationum initia haec sunt: I. *ἀντὶ πολλῶν ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρημάτων.* II. *ἐπὶ πολλῶν μὲν ἰδεῖν ἄν τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δοκεῖ μοι.* III. *οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι.*

Horum primum atque secundum: *ἀντὶ πολλῶν* et *ἐπὶ πολλῶν* facillime inter se permutari posse vix quisquam negaverit. Permutavit ea Dionysius quoque; id quod ei accidisse minime mirum, quem, si vel obiter epistolam illam inspexeris, intempestivae, qua ad finem semper propere tendit, festinationis confidenter insimulabis. Permutatis igitur oratt. I. et II. initiis, primo loco collocavit eam, quae exorditur verbis: *ἐπὶ πολλῶν μὲν ἰδεῖν ἄν τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δοκεῖ μοι.* Jam hanc excipere eam meminit, cujus hoc est initium: *οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι.* Itaque hanc secundam fecit. Cum autem oratio nulla superesset praeter eam, cujus prima verba haec sunt: *ἀντὶ πολλῶν ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρημάτων,* non potuit quin ei tertium locum concederet. Hoc modo natum errorem propagavit in posteros auctoris auctoritas, quae tamen in hujusmodi rebus quam sit sublestae fidei, nunc demum satis a viris doctis demonstratum est. [47]).

47) A. G. Beckerus Dionys. in comment. praem. p. XXIV. annot. 28. locis iis, in quibus erravisse Dionysium patet, diligenter collectis, pergit in hunc modum: „— *so möchte wohl nach diesem Allen sich die Frage aufdrängen: ob es Recht war, mancher flüchtig und*

Restat, ut paucis inquiramus, quae ceterorum fuerit antiquis temporibus hac de re sententia.

Libros *omnes* vulgatum harum orationum ordinem tueri jam supra vidimus. Quos etsi damus temporis decursu depravari et corrumpi potuisse, eo tamen si quorundam haud leve testimonium accesserit, patiantur velim adversarii nos, an verum ipsi viderint, addubitare; sin vero omnes, quos ea de re sententiam ferre convenit, cum libris manu scriptis conspirarint, non erit cur, praesertim cum internae quoque rationes multae nobis suppeditent, solum Dionysium verum vidisse, reliquos omnes erravisse judices. Jam rhetores et scholiastae, quorum quidem scripta nobis reservata sunt, Olynthiacarum Dionysiacum ordinem ad unum omnes ignorant, vulgatum ad unum omnes comprobant.[48]) Quem omnium consensum, pergrave nostrae sententiae adminiculum, molestum adversariis fuisse quis miretur! Sed magnam tamen res difficultatem habet propterea,

---

ohne allen Beweis hingeworfenen Angabe des Rhetors so viel zu trauen, dass man darnach, selbst bei der constanten Behauptung der Alten vom Gegentheile und wider die Auktorität aller auf uns gekommenen Handschriften bei Demosthenes auf Umstellung einiger Reden u. auf Zerschneiden einer in sich selbst zu einem vortreffli-chen Ganzen verbundenen Rede dringen konnte!" Cf Ruediger d. cau. Phil. I. I., C. Gu. Krueger in praefat. ad Dionys. Halicarn. Historiographica (Hal. Sax. 1823.) pag. V–XII. et comment. cap. I. p. 258., P. A. Zimmermann Comm. d. Demosth. reip. Athen. administratore p. 40. Ejusdem in judicando temeritatem et cupiditatem conquestus est jam pridem J. C. Gottleber in disp. de Menexeno et ejus argumento p. 11. 12., praefixa edit. Plat. Menex. et Periclis Thucydidei orat. funebris (Lips. 1782.).

48) Hermogenes Tarsensis (a. 160.) ejusque Scholiastae (in Rhetor. Graec. Ald. Ven. 1509. II. p. 162—417.), Harpocration (160.), Apsines (230.), Libanius Antiochenus (a. 314. nat.), Ulpianus (s. fin. sec. 4.), Gregor. Corinth. (1150), quorum testimonia post Taylorum (ap. Reisk. Oratt. Gr. T. VIII. p. 717.) diligenter collegerunt Pinzger. in Rauchenst. comm. ed. pr. p. 50. 51. atque A. G. Becker. Phil. Red. p. 113—116.

quod vulgatum illi probant quidem ordinem, sed cur probent — si unum Ulpianum exceperis — nihil rationis afferunt, ita ut, si epistola ad Ammaeum data I. cum aliis ejusdem auctoris scriptis periisset, ne suspicere quidem, exstitisse quondam, cui id ipsum secus visum esset.

Hinc argumenta sua depromserunt, quos solos hacce re ad vulgatum ordinem aut refutandum aut confirmandum usos esse scimus, Rauchensteinius p. IX. atque Beckerus Phil. Red. p. 112.

Ac prior eorum hunc in modum disputat: „Poterat aut casus ludere, aut poterat aliquis magnae apud suos auctoritatis rhetor rem constituere suo quodam hac in re judicio, quem sequebantur deinde auditores et librarii, ut paullatim ordo Dionysianus evanesceret.“ Sed casus quomodo hac in re ludere potuerit, non prorsus, fateor, dispicio, nisi lusum istum in eo conspicuum esse dixeris, quod pleraque Grammaticorum scripta perierunt, in quibus multa fortasse de Olynthiacis orationibus ordinandis quamvis fuse lateque dicta essent, ita ut, quos adhuc habeamus, hac opera commode supersedere potuerint. Cujus rei haud fallaces quasdam notas in Ulpiani locis eis, quos supra pag. 27. sqq. tractavi, repperisse mihi videor, quem, quae sub ejus nomine circumferuntur, e praestantioris cujusdam rhetoris ore ac scriptis accepisse atque collegisse jam dudum est suspicio.

Veri igitur simillimum est, quod dicit Beckerus, [49])

---

49) Beckeri l. l. verba haec sunt: „*Entweder die spätern Rhetoren wussten nichts von der Stellung, welche Dionys. den drei Olynth. Reden angewiesen hatte, oder sie kannten sie zwar, hatten aber Gründe, nach welchen sie dieselbe verwarfen. Das erste ist nicht erweisslich; denn nicht nur Dionys. Schriften überhaupt, sondern selbst jener Brief an Ammaeus war ihnen nicht unbekannt. Mithin muss wohl in ihren Schulen über jenen literarischen Streit verhandelt, und durch überwiegende Gründe die Stellung des Rhetors verworfen seyn.*“ Haud merito ei Censor libri Dem. Phil. Red. in Ephemm. Lips a. 1829. m. Maj. n. 104. exprobrare videtur haec:

non modo nosse Grammaticos Dionysiacam collocationem, sed in quaestionem quoque eam vocasse, examinasse, damnasse; id quod facilius etiam omnium consensu fieri potuisse apparebit, si statuamus, illis quoque visum esse Dionysium non consulto quidquam correxisse, sed errantem in scribendo et invitum initia orationum permutasse. Ex quo intelligitur, haud verius esse alterum, quod protulit Rauchensteinius, argumentum. Ponamus autem, verum vidisse Dionysium, ejusque tempore in libris omnibus eodem, quo ipse voluit, orationes ordine dispositas fuisse; id enim necessario ponendum est, quod nullam de hac re dissensionem inter criticos commemorat. Quid tum? Adeone posthac rhetor auctoritate et laude ingenii floruit, ut invitis libris omnibus istas orationes in alium ordinem redigendas esse omnibus persuadere posset? Coecone impetu abrepta turba rhetorum, ut ne in uno quidem libro pri-

---

„*Hier übersah der Vf. einen dritten möglichen Fall, dass nehmlich die spätern Rhetoren, ob sie gleich die Anordnung des Dionys. kannten, doch die gewöhnliche deshalb, weil sie sie in ihren Büchern vorfanden. u. sie einmal die übliche war, ohne weitere Prüfung beibehielten, gerade so wie sie entschieden unechte Reden unbedenklich als Demosthenische anführen, u. wie die Stellung der* 1. *Philipp. Rede nach den Olynthischen Reden bis auf die neusten Tage sich erhalten hat.*“ Sed meminisse debebat vir doctus haud raro rhetores ab oratoribus, inprimis a Demosthene Libanium in argumentis, orationes abjudicare. V. argg. oratt. d. Halon. p. 75. Reisk., d. foed. c. Alex. p. 211., adv. Neaer. p. 1321. — Philippicam I. autem loco suo facilius dimoveri potuisse jam ex eo apparet, quod, nisi quo ordine Philippicae omnes sese excipiant quaeris, nihil omnino refert, utrum in hoc an alio loco collocetur. Namque tota res in una eademque concione ab oratore absoluta est. Ita fortasse defendi poterit Voemel. qui in ed. Philipp. V Philippicam I. post Olynthiacas posuit, quamquam in plurium Philippicarum editione a vero ordine recedere non debebat. Olynthiacae vero oratt. ita comparatae sunt, ut, quem in ordinem redigantur, maximi momenti esse videatur. Quare, nisi omnes, praestantiores certe rhetores earum collocationem in quaestionem vocasse credibile est; probato autem veteri ac vulgato ordine mirum ni brevi controversiae deferbuissent.

scum tolerarent ordinem? Non ita est, opinor. Verum enimvero nos mortales, quamvis novis rebus interdu studeamus, atque insolita captemus, multo tamen magi veteribus rebus et institutis, tamquam saxo naufragi oblato, anxie ac pertinaciter adhaerescere solemus.

Erravit igitur Dionysius, id quod homini ignoscas quod vero tot tantosque viros doctos, ut mihi quider videtur, ad se totos adeo convertit atque rapuit, ut no multum abesset, quin falsa illi paene omnibus probarent de eo criticus quomodo se excuset ac defendat, ips viderit.

Corrigenda.

Pag. 1. vers. ult. p. p. 75. leg. p. 73.
— 11. — ult. — p. 38. — p. 37.
— 25. — 34. — p. 60. — p. 57.
